ROSSI

PUBLICUM ECCLESIASTICUM

1896

ITALY

432

JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

DISSERTATIONES

AUCTORE

Sac. JEREMIAS ROSSI

Prezzo Lire 2.

ROMAE

Prostat venale apud Auctorem — Piazza Fiammetta 14, p. 3.
Item Romae prostat venale Libreria di Propaganda Fide — Piazza Mignanelli, 22.
Nec non apud A. Saraceni — Via S. Chiara, 40-41

TYPIS A. ET SALV. FESTA

1896

CARDINALI LUCIDO MARIAE PAROCCHI

URBIS VICARIO

AUCTOR HUMILLIME DEDICAT

DISSERTATIO I.

DE ORIGINE SOCIETATIS

Art. I. — **Notio Societatis.**

Homo natura sua tendit ad bonum. Iamvero hoc bonum non possunt homines consequi nisi mutuo auxilio, id est sese uniendo et conspirando ad bonum commune. Conspiratio vero plurium hominum ad bonum commune dicitur societas. Homo ergo natura sua est socialis. Ex hoc autem non sequitur hominem natura sua esse associatum. Hinc Origo societatis resultat ex duobus principiis, ex tendentia et necessitate naturae, et ex facto humano actuante hanc tendentiam et necessitatem.

Art. II. — **Elementa Constitutiva Societatis sunt pluralitas hominum et Auctoritas.**

Homines cum sint libertate praediti, diversis mediis possunt consequi suum finem, hinc inter homines non haberetur concordia nec conspiratio sine principio unitatis uniens voluntates ad finem ita ut omnes concorditer tendant ad finem, id est conspirent ad bonum commune. Principium uniens voluntates ad conspirandum ad bonum commune dicitur Auctoritas.

Elementa ergo constitutiva societatis sunt duo. 1.° Plures homines. 2.° Auctoritas uniens homines in unum corpus conspirans ad eumdem finem. Primum id est plures homines dicitur *Materia Societatis*. Secundum id est Auctoritas dicitur *Forma Societatis*.

Art. III. — De Origine Auctoritatis.

AUCTORITAS EST A DEO AUCTORE NATURALIS TENDENTIÆ AD SOCIETATEM INEUNDAM, ET A FACTO DETERMINANTE TENDENTIAM NATURALEM.

Diximus societatem habere originem ex naturali tendentia ad societatem ineundam, et ex determinatione humana determinante naturalem inclinationem, quæ determinatio est libera, potest enim homo et non potest in societate vivere non obstante naturae inclinatione. Ex eadem naturali inclinatione et ex facto oritur auctoritas. Cum enim auctoritas sit elementum constitutivum societatis, ex eo ipso quo oritur societas, oritur et auctoritas quae est unitiva membrorum in societate ad conspirandum ad bonum commune. Auctoritas ergo oritur a Deo tanquam ab auctore naturalis tendentiae, et a libero facto humano actuante tendentiam naturalem.

Nempe si adest naturalis tendentia ad vitam socialem, ad bonum commune obtinendum, si ad obtinendum bonum commune est necessaria conspiratio, si ad conspirandum est necessaria auctoritas, adest etiam naturalis tendentia ad auctoritatem habendam. Iterum si ad actuandam hanc naturalem tendentiam in hominibus vivendi in societate est necessarium factum hominum determinans hanc naturalem tendentiam, de facto ineundo societatem, pari modo necessarium est factum hominum determinans naturalem tendentiam ad habendam auctoritatem quæ est elementum constitutivum societatis.

Auctoritas ergo quemadmadum societas oritur a Deo ut auctor naturalis tendentiae vivendi in societate, et a libera hominum voluntate actuante naturalem tendentiam per factum associationis, in qua tendentia et facto associationis continetur et tendentia et factum constitutivum auctoritatis quae est in societate constitutivum elementum.

Art. IV. — **De Origine Societatis.**

SOCIETAS ORITUR EX NATURALI TENDENTIA A DEO IMPRESSA ET EX FACTO.

Præmittimus hominem natura sua velle felicitatem, et in volenda felicitate non esse liberum. Attamen diversis mediis potest consequi felicitatem, et homo non determinatur ad hoc vel illud medium suscipiendum pro consecutione felicitatis, sed potest unum vel alium modum eligere, et in hac spontanea electione consistit libertas. Aliis verbis, voluntas vult necessario bonum universale, et est libera circa bona particularia.

Quemadmodum igitur homines, excepta felicitate, in omnibus sunt liberi, seu possunt unum vel alterum medium eligere ad felicitatem assequendam, ita sunt liberi in constituenda societate, et in constituenda auctoritate quæ est elementum constitutivum societatis, ita ut possint eligere unum vel alium ut subjectum auctoritatis, unum vel plures, sub hac vel alia forma regiminis, seu sub istis vel aliis conditionibus, et ita de facto, uti constat ex Historia, constitutæ fuerunt societates, libera nempe voluntate determinante naturalem tendentiam, libere enim homines vivunt in societate, libere hanc vel illam societatem ingressi sunt prae alia, libere in hac vel illa societate vivunt præ alia, libere hac vel illa forma societates constituerunt præ alia forma.

QUOMODO COSTITUATUR AUCTORITAS IN SOCIETATE.

Dices. — Auctoritatem ita debere constitui in societate sive quoad subjectum eligendum sive quoad formam regiminis, ut respondeat ordini seu naturae rectae juxta naturalem tendentiam quam homines debent sequi juxta naturam recte intellectam. Ergo sive subjectum sive forma auctoritatis non debent constitui ex libera electione sociorum, sed ex recto dictamine naturæ, ita ut ille sit subjectum, illa forma auctoritatis quam na-

tura et rectus ordo requiret, seu persona et forma prae ceteris magis idonea ad finem seu ad bonum commune.

Resp. — Etiam in casu societatem semper pendere a libera voluntate hominum, etiam enim societas recta cum auctoritate recte constituta non est objectum ad quod necessario tendimus, seu felicitas in sensu generico sumpta per libera media assequenda, hinc hanc societatem possunt homines constituere vel non, et huic societati recte costitutæ possent libere adsociari vel non, possent istam vel aliam eligere.

Insuper respondendo magis directe ad difficultatem quærimus: quis habebit jus in casu interpretandi naturam, et aliis dicendi quem debeat esse subjectum et forma Auctoritatis juxta rectam naturam ? et quis erit qui ad hoc suum judicium posset alios obligare ? Patet neminem posse alios obligare ad suum judicium sequendum, et proinde communi judicio rem esse determinandam, et per consequens communi electione, quae poterit esse expressa vel tacita juxta circumstantias facti, poterit esse vel constitutiva subjecti et formæ auctoritatis ante factum, vel approbativa huius subjecti vel formæ post factum, poterit esse approbativa ex voluntate libera, vel prudentiali ex circumstantiis ne pejus eveniat.

Dices. — Quid si quis de facto se constituat in auctoritate absque aliorum electione vel consensu, et sit revera subjectum eligendum, et sese constituat in forma eligenda ?

Resp. — Cum sit subjectum eligendum quod jam sit in auctoritate constitutum, tantum deficeret formalitas legitimae electionis, quæ in casu cum non posset fieri sine damno societatis, subjectum constitutum in auctoritate erit legitimandum consensu sociorum expresso vel tacito.

Art. V. — **Quomodo Societates primitivæ sese constituerint.**

Quod si quæratur quomodo societates primitivae sese constituerint, respondemus: ad societatem habendam requiruntur plures homines. Iamvero isti homines possunt simul inveniri vel ut mem-

bra familiae vel sine unione sociali. Si primum, auctoritas jam residet in patre usquedum filii maneant ut membra familiae, si alterum, societas et proinde auctoritas efformari potest ex communi libera electione vel consensu. Potest etiam efformari sensim sine sensu ex mutua relatione usquedum unum vel plures in auctoritate sponte sint recogniti qui de facto consulunt bono communi alios defendendo adjuvando etc. sive per electionem, sive per consensum, sive per approbationem expressam vel tacitam. Rursus societas potest oriri ex facto subjugationis istorum ab aliis vi praevalentibus si de facto vi praevalentes auctoritatem exerceant in alios, et isti ex propria utilitate sponte auctoritatem confirment. Quod si non libero consensu sed vi sub auctoritate contineantur, jam non socii erunt sed servi, et non societas oritur inter primos et ultimos, sed servitus in qua ultimi vi detinent primos.

Sic nonnisi per consensum Societates ortae sunt vel oriri possunt, qui potest esse vel expressus, vel tacitus, si enim vi orirentur, jam non societates essent sed servitutes, quod resultat ex ipsa definitione societatis, cum homines non possint dici conspirare ad bonum commune si alii ex vi aliorum priventur inalienabili bono, nempe liberate, nemo enim potest rationabiliter alium ad aliquid obligare etsi bonum, nisi alius cognoscat illud esse bonum, quod judicatur ex electione vel consensu proprio, non ex vi aliorum.

Art. VI. — **An et quomodo Auctoritas possit destitui.**

Ut ait Bellarminus, societas est conspiratio ad bonum commune, hinc si Rex evidenter iniqua praeciperet, cives non solum non tenerentur exequi mandata, sed esset iniquum exequi mandata impia. Hinc colligitur cives posse et aliquando teneri ad subjectum auctoritatis mutandum, si enim non accidentaliter Rex impia praeciperet, sed constanter, eo quod impius, constanter etiam, et non pro aliquo tempore cives tenerentur ei non obedire, et tunc manerent sine Rege nisi primum deponerent et

alium eligerent. Dixi de casu evidentis et constantis impietatis, non enim liceret civibus Regem deponere ob aliquos abusus, vel etiam ob aliquod crimen, humanum est enim errare, et aliquando etiam peccare, uti peccavit Rex David, et nonnisi alius homo fallibilis et peccabilis posset a civibus eligi. Insuper notandum non semper posse cives Regem deponere et alium eligere, etiamsi esset deponendus, et hoc ratione damnorum quae possent consequi ex depositione, ut anarchia, bellum civile etc.

Rex potest fieri incapax auctoritatis, vel defectu mentis, vel ex defectu voluntatis, seu vel ex dementia vel ex impietate, et tunc potest destitui. S. Thomas ita habet in Opusculo xx. De Regimine Principum : " Si ad jus multitudinis pertineat sibi pro- " videre de Rege, non injuste ab eadem Rex institutus potest " destitui.... Si vero ad jus alicuius Superioris pertineat multi- " tudini providere de Rege, expectandum est ab eo remedium " contra tyranni nequitiam.... Quod si contra tyrannum auxilium " humanum haberi non potest, recurrendum est ad Regem o- " mnium Deum etc. ".

Ait S. Thomas tyrannum juste posse destitui, id autem fieri debere modo legitimo, nempe a Superiore si adsit Superior ex.g. si agatur de Principe Status Foederati et subjecto Praesidi totius Foederationis, secus non injuste poterit destitui ab ipso populo.

Hic rursus adnotamus in aliquibus Statibus populum jam habere repraesentantes constitutos, ad quos vi Constitutionis pertinet destituere Regem vel Praesidem in casu incapacitatis vel incorregibilis impietatis, ut in Statibus Unitis.

Ita pariter in Sacro Imperio, Imperatore destituto jure Imperii juxta conditiones electioni appositas, puta si esset Pontifici hostilis, jam aderant electores ex lege qui debebant alium eligere. In Regno Poloniae jus destituendi pertinebat ad Dietam. In Republica Venetiana hoc jus habebant in Magno Consilio.

In aliis Statibus patet repraesentantes populi esse primos Magistratus vel digniores Status, quibus certe est jus desti-

tuendi Regem in casu dementiae vel tyrannidis, ut regulae justitiae et aequitatis serventur in destitutione juxta jus commune si regulae particulares desint ex Constitutione. Hinc si Rex deficiat ex incapacitate poterunt providere Regentia vel Tutela, si ex reitate emendabili poterunt providere novis fraenis ad ipsum continendum et emendandum, si ex culpa incorregibili personali non erit punienda tota familia, si ex culpa totius familiae poena non erit extendenda toti corpori politico.

Quibus apparet quam sint injusti modus insurrectivi populares, exceptis casibus extremae necessitatis juxta prima verba S. Thomae, quorum, jam citata superius sunt declarativa " contra Tyrannos nempe procedi debere non per privatam praesumptionem aliquorum, sed per publicam auctoritatem ".

Art. VII. — **De Pacto Sociali — Refutatur Pactum Sociale.**

Nonnulli Publicistae saeculi decimioctavi ut Spedalieri et alii admiserunt pactum sociale ita ratiocinantes: Homines ex naturali tendentia uniuntur cum aliis in societate civili, ut vidimus. Iamvero homines sunt liberi, si ergo inveniuntur in societate civili dicendum adfuisse pactum quo originem habuit civilis societas, vi cuius pacti, en error, ipsi et posteri tenentur obedire societati, quia ex primitivo illo pacto amiserunt libertatem vivendi in societate vel non, ita ut homines vi pacti primitivi nascantur societati civili ligati. En igitur error. Admittunt homines nunc vivere in societate civili, non ex libera electione sed coacti, et cum hoc repugnet humanae libertati, finxerunt pactum primitivum quo homines ex consensu amiserint hanc libertatem eligendo societatem, et vi huius pacti primitivi omnes homines nascantur cum obligatione vivendi in societate civili.

REFUTATUR PACTUM SOCIALE.

Recentiores confutaverunt errorem pacti socialis negando factum fictum a Publicistis saeculi decimoctavi vel ab illis suppositum, alicuius nempe veluti universalis conventus hominum

ad paciscendum de societate admittenda vel non, et ad obligandos seipsos et etiam posteros ad civilem societatem. Tamen aliqui eos non confutaverunt in errore praecipuo cuius gratia pactum sociale invexerunt vel supposuerunt, nempe in errore admittendi homines non vivere in civili societate sponte sed coactos, hunc errorem qui est fundamentum pacti socialis non confutaverunt, sed hunc errorem admiserunt, admittentes homines vivere in societate civili non ex spontanea et libera voluntate sed ex necessitate. Differentia inter primos et secundos haec est, quod primi ad hoc sustinendum in homine libero, invexerunt pactum sociale quo homo libertatem amiserit ex propria voluntate et pacto, alteri recentiores negaverunt libertatem hominis in tendendo naturaliter ad societatem, dicentes hanc naturalem tendentiam non esse liberam, nempe ex hac naturali tendentia homines esse in societate non ex libera electione sed ex necessitate, quod pariter est falsum, homines enim non sunt liberi tantum pro felicitate volenda seu pro bono generice sumpto, pro particularibus autem bonis sunt liberi, possunt nempe unum vel alterum particulare bonum eligere.

Contra istos iterum asserimus hominem esse liberum in eligenda societate vel non etsi naturaliter tendat ad societatem, et libere in societate vivere de facto, potuissent enim homines et possunt discedere in aliam societatem, vel extra societatem, uti patet ex facto de Anacoretis, et ex libertate quam omnes habent hoc factum imitandi discedendo extra societatem. Posita hac libertate quam omnes habent et nemo negat, jam non est necessitas excogitandi et supponendi pactum sociale cum Publicistis saeculi elapsi, nec inveniendi aliam explicationem negando libertatem hominis in tendendo ex naturali tendentia ad societatem civilem cum nonnullis recentioribus.

Quod si nonnulli ex istis recentioribus dicant homines esse in societate civili ex obligatione, non quia tendentia naturalis non sit libera, sed quia ad eam sequendam tenentur et obligantur de facto, uti ad id quod est bonum et rectum, responde-

mus hanc obligatianem non existere nec ex jure naturae, quia homines sunt liberi circa bona particularia, nec ex facto, Anacoritae enim viventes extra societatem sese perfecerunt. Ergo non adest obligatio ex jure naturae pertinendi ad societatem, neque ex facto, quia de facto omnes libere vivunt in societate, et libere possunt discedere a societate. Hoc dicebam quia isti recentiores tenent aliud falsum principium quo sustinent errorem quod homines vivant in societate coacti et non libere, nempe omnes homines teneri ad id quod est rectum juxta naturam et rationem, et proinde ad societatem civilem ineundam et in societate civili manendi, et proinde ad id posse obligari. Iamvero hoc est falsum, nemo enim potest alium obligare ad id quod sibi videatur rectum, quia ipsi non constat de judicio alterius, alterum nempe admittere esse rectum id ad quod ipse vellet eum obligare. Quis igitur alium obligaret ad id quod est rectum? nemo enim fuit a natura in auctoritate constitutus, homines sunt aequales, et si quisque posset alium obligare ad id quod sibi videatur rectum, unus esset superior alterius quod est contradictorium.

Quod si inspiciamus ad possibiles abusus sociales, quis etiam post liberam electionem vel consensum tenebitur manere in societate civili ex pacto ?, vel quomodo potest cogitari teneri ex obligatione naturali ? Iamvero sive praefati Publicistae saeculi elapsi, sive recentiores, sine ulla distinctione asserunt homines esse obligatos ad civilem societatem, hoc deducentes, primi ex pacto sociali, alteri ex obligatione naturali, quod si falsum est, ut demonstravimus, in aliquibus abusibus socialibus impium evaderet, natura et ratio esset impia sive ex sua naturali obligatione sive in sustinendo pacto etiam quoad societatem habentem legislatorem iniquum, ad quam aliquando si qui debuerunt pertinere, hoc non ex natura, vel pacto primitivo, vel ex libertate propria est tribuendum, sed ex iniqua servitute eis vi imposita ab iniquis tyrannis.

Quid ergo concludendum de pacto sociali? Admittendumne

[illegible] origine constitutam fuisse per multitu-
[illegible] unum collectam ad paciscendum de so-
[illegible] subjecto auctoritatis eligendo ?
[illegible] are ex historia quomodo societates ori-
[illegible] omodo originem habeant. Potuerunt vel
[illegible] tero modo, etiam per multitudinem col-
[illegible] eundam et subjectum auctoritatis eli-
[illegible] m ortam ex multis qui inveniantur in
[illegible], vel ex multis emigrantibus in alias re-
[illegible] ter se ineuntibus et Auctoritatem sibi
[illegible] et communi electione.

[illegible] m factum quod fingunt assertores pacti
[illegible] rimis temporibus universaliter collecta ad
[illegible] tatem et libertatem posterorum, ita ut vi
[illegible] ascantur subditi societatis civilis, et ad
[illegible] ere sed obligati vi pacti primitivi. Isti ad-
[illegible] in societate civili non libere sed vinculo
[illegible] uam obligationem explicandam in homine
[illegible] nunt adfuisse pactum quo homines libera
[illegible] jerint, et hoc pacto primitivo amiserint
[illegible] cietate vel non.

[illegible] n *Sistemate Pacti Socialis*, error non
[illegible] ant adfuisse pactum, hoc enim in sub-
[illegible] homines cum sint liberi in tendentia na-
[illegible] undam, societatem inierunt et ineunt ex
[illegible] expresso vel tacito, explicito vel impli-
[illegible]

voluerunt defendere, pactum enim sociale et veluti venditionem humanae libertatis invexerunt, eo quod admitterent omnes homines vivere in societate civili non libere sed obligatos, ita ut in societate civili nascantur subditi ligati ad societatem, non liberi, quod est falsum sive ex natura sive ex facto, natura enim sunt liberi, et facto in civili societate vivunt vel non prout libere volunt, vel libere unam prae alia societate eligunt prout volunt.

DISSERTATIO II.

DE FORMA AUCTORITATIS

QUÆNAM FORMA AUCTORITATIS SIT PRÆFERENDA MONARCHICA VEL POLYARCHICA

Art. I. — Exponuntur rationes pro utraque Forma

Forma Monarchica est praeferenda propter unitatem, ex qua unitate citius et facilius in Forma Monarchica habetur solutio et executio alicuius quaestionis, Rex enim auctoritate sua potest finem imponere discussionibus partium dissidentium in suo Statu, quae dissidentiae aliquando interminabiles sunt, et nocumentum afferunt Statui ob deficientiam decisionis et actionis, juxta illud effatum " dum Romae consulitur Saguntum expugnatur. „ Forma autem Polyarchica est praeferenda propter securitatem decisionum, ob discussionem et deliberationem magis perfectam, Corpora enim Repraesentativa componuntur ex civibus quorum utilitates sunt diversae, et aliquando inter se contrariae, eliguntur enim ex civibus diversorum coetuum, diversisque officiis et negotiis addictis, et ita repraesentant omnes civium necessitates, ita ut ex discussione et ponderatione privatorum bonorum, quae sunt diversa et aliquando contraria, optime pro-

videatur per gubernium repraesentantium communi utilitati, et non tantum singulorum, quod evenire posset in gubernio absoluto, discussio enim et ponderatio rerum pubblicarum fit tantum a Rege et a paucis Magistratibus.

Rex per se non potest cognoscere in omnibus negotiis privatis utilitates omnium civium, Consiliarii autem Regis, seu Optimates nec ipsi cognoscunt ita perfecte privatorum necessitates et emolumenta, ut possint perfecte judicare, nec ita eorum interest negotiorum privatorum, ut repraesentantium in Regno Polyarchico, cum Optimates maxime excellant conditione caeteris civibus, ita ut in aliquibus negotiis privatis neque se implicent, neque de eis curam habeant. Iamvero hoc est inconveniens ut per auctoritatem provisum sit tantum publicis negotiis seu internationalibus negotiis, cum defensio ab externis sit pro interno ordine et justitia custodienda, et proinde se habeat ut medium ad finem, proinde non debeat esse finis praecipuus in societate recte instituta sed secundarius. Finis directus societatis est felicitas civium, ad quam obtinendam requiritur ut bona sint aeque distributa, et provideatur cum justitia utilitatibus omnium, inde fit necessarium praesidium ad bonum commune, seu ad civium felicitatem custodiendam. Ipsa auctoritas est pro societate, non societas pro auctoritate. Videtur igitur perfectius posse deliberari, ponderari, atque concludi circa bonum publicum ab illis ipsis qui curam habent bonorum partialium et particularium in societate, cum bonum universale et commune resultet ex bonis partialibus et particularibus. Isti sunt membra corporis repraesentativi in gubernio polyarchico qui pertinent ad diversos coetus et professiones societatis, et repraesentant in ipsis suis diversis et aliquando contrariis utilitatibus particularibus particulares utilitates omnium civium, imo diversa particularia emolumenta omnium civium, imo opposita, cum utilitas unius coetus vel professionis diversa saepe sit et opposita utilitati alterius, ex qua oppositione perfectius deliberantur et discutiuntur negotia, ita ut consensus majoris et Sanioris partis

resultans ex omnium voto sit revera bonum commune. Ex quo apparet formam polyarchicam, ratione perfectioris discussionis, ponderationis, et deliberationis esse praeferendam.

Isti qui favent Formae Polyarchicae respondent ad effatum " dum Romae consulitur Saguntum expugnatur „ quod prompta solutio et executio quaestionum non est necessaria pro negotiis ordinariis, sed potius matura deliberatio requiratur; pro negotiis vero extraordinariis, praesertim externis seu internationalibus, ipsos repraesentantes posse constituere unum, vel paucos ad negotia extraordinaria solvenda quae requirant promptiorem executionem.

Illi qui favent Formae Monarchicae pariter observant negotia publica seu internationalia, praesertim tempore belli, requirere citiorem executionem. Quoad negotia autem interna, seu quoad bonum commune resultans ex bonis particularibus civium in particularibus negotiis, posse Regem negotia committere corpori repraesentantium, et ita obtinere finem perfectioris discussionis. Hinc est quod conclusio ita venit, ut sive una sive altera forma possit ita temperari, ut bonum obtineat quo altera excellit, ita ut et Monarca per repraesentantes obtineat perfectam deliberationem, et impartialem solutionem negotiorum civium, et corpora repraesentativa per electionem unius vel paucorum obtineant unitatem et promptitudinem pro negotiis extraordinariis praesertim publicis vel internationalibus.

In Forma Monarchica magis providetur negotiis internationalibus seu publicae securitati, corpora enim repraesentativa non satis provident bono publico externo, nullius enim ex repraesentantibus ita interest securitas atque defensio coronae ut Regis ipsius, nemo ex repraesentantibus ita consulit securitati et tranquillitati coronae uti Rex qui defert coronam, et eius Ministri sustinentes coronam. Hinc publicae securitati magis consulit regimen monarchicum quam polyarchicum propter ultimam rationem adductam, quod nempe nemo ex repraesentantibus sit, uti Rex, defensor rei publicae seu Coronae, cum coronam ipse

deferat, et proinde eius maxime intersit eam sustinere, quod emolumentum magnum est in societate, publica quies nempe et securitas in relationibus internationalibus, et in quovis periculo sociali quod ab hostibus eveniat.

Facilius autem est, obtenta securitate externa, providere impartialitati et justitiae in negotiis internis pro bono communi, quam obtenta impartialitate in negotiis internis civium, obtinere quietem et securitatem ab hostibus externis, et ita relationes internationales servare, ut secura sit publica quies. Praecipuus nempe finis et maxime consulendus est securitas ab externis, quae est maxime difficilis, et requiritur ut fundamentum bono communi in negotiis internis, quod est facilioris obtentus.

Corpora repraesentativa utique possunt eligere unum vel paucos pro negotiis extraordinariis, sed quis erit ita versatus in publicis negotiis uti Rex?, cum nemo ad regimen sustinendum in publicis calamitatibus sese disponat, sed potius ad declinandum, cum nullum extraordinarium emolumentum ei sit tempore pacis? Quis exercitus ordinationi praesertim tempore belli ita providebit uti Rex, cum ipsi sit maxima securitas et maximum emolumentum si exercitus sit bene ordinatus? Quis vitam suam ita exponet pro publica defensione uti Rex cui maximum emolumentum est tempore pacis? Duces aliquando inservierunt pluribus Regibus, diversis populis, aliquando contrariis; aliquando sese dederunt hostibus, quia cura illis non erat a Deo data pro bono societatis uti Regibus, ita ut indifferenter uni vel alteri populo inservierint, nec illi cura fuerit magis boni unius quam alterius, quia Reges non erant. Hinc Forma Monarchica multum praeferenda est Formae Polyarchicae, quia cura boni communis dependet a cura boni privati, quod in Regibus est maximum, quia maximum bonum habent, et nemo adest inter repraesentantes qui habeat hoc bonum maximum.

DIFFICULTATES

Forma Monarchica est praeferenda propter unitatem, unitas autem est praeferenda pro citiori et promptiori gubernatione, citior et promptior gubernatio est praeferenda in casibus extraordinariis puta tempore belli. Polyarchia seu plures repraesentantes sunt praeferendi pro discussione, ponderatione, et deliberatione magis matura et perfecta, haec autem est praeferenda pro casibus ordinariis in societate. Iamvero quod est perfectius pro casibus ordinariis est praeferendum ei quod est perfectius pro casibus extraordinariis. Ergo videtur Polyarchiam esse praeferendam Monarchiae.

Respondemus — Huic difficultati unitatem esse maxime necessariam etiam in negotiis ordinariis, et ita Monarchiam esse praeferendam.

Objicitur 2°. — In Monarchia ex ipsa constitutione societatis possunt constitui plures pro negotiis ordinariis juxta exigentias populi, in Polyarchia pariter ex ipsa constitutione societatis potest constitui unus pro negotiis extraordinariis praesertim internationalibus, et ita habetur Forma mixta, quae est Forma perfectior, et proinde caeteris praeferenda.

Respondemus. — In Forma Monarchica profecto per electionem plurium ad regimen societatis cum subordinatione ad Principem, et servatur unitas, et habetur pluralitas pro maturitate judiciorum, non ita in Polyarchia, cum de essentia Polyarchiae sit auctoritas ex pluribus, hinc Caput non haberet subordinationem plurium, hinc non servaretur unitas. Hinc Forma praeferenda non est Forma mixta, sed Monarchica temperata.

Art. II. — **Conclusio**

FORMA AUCTORITATIS PRAEFERENDA EST MONARCHICA TEMPERATA

Exposuimus rationes faventes tum Monarchiae, tum Polyarchiae, exposuimus utilitates sive unius sive alterius formae quibus una est alteri praeferenda , nunc dicimus illam esse for-

mam praeferendam quae omnes utilitates habet sive unius sive alterius formae, et hanc esse Monarchiam temperatam, haec enim habet unitatem gubernationis quae est maxime necessaria sive in negotiis internis et ordinariis, sive in negotiis externis praesertim internationalibus. Insuper habet impartialitatem et maturitatem in negotiis internis ordinariis quae perfectius obtinetur discussione et judicio plurium, praesertim ad ipsa negotia pertinentium ex Officio, vel Professione, hoc enim potest obtineri in ipsa Forma Monarchica, statuendo plures inter cives ut repraesentantes et judices publicae necessitatis, qui tamen subordinentur Principi propter unitatem. Et ita habetur in Forma Monarchica temperata utraque utilitas, unitas nempe qua diximus praestare Monarchia, et matura et impartialis discussio atque solutio in negotiis, qua diximus praestare Polyarchia seu gubernatio plurium, cum etiam in Forma Monarchica temperata habeantur plures repraesentantes publicae necessitatis, nec tamen unitas inter ipsos deficiat propter subordinationem ad unum Principem.

Haec autem duplex et perfecta utilitas non posset ita haberi in Forma Polyarchica, vel enim inter plures constitueretur Princeps ad unitatem habendam, et tunc erit Monarchia temperata, vel Principe non constituto deficeret perfecta unitas, quod elementum est maximae utilitatis in societate sive in negotiis ordinariis sive extraordinariis, sive internis sive externis. Et ita Forma Monarchica temperata est Forma prae caeteris in societate praeferenda.

Quod probatur etiam ex Scriptura, habemus enim Deum constituisse Moisen legislatorem populi, tamen praecepisse Moisi ut plures eligeret ad judicandum et gubernandum populum ipsi Moisi subordinatos, hac ratione quia impossibile esset ipsi soli totum populum immediate judicare, et gubernare.

Ita in Novo Testamento habemus Christum Dominum in constitutione Ecclesiae elegisse duodecim Apostolos ad regendam Ecclesiam una cum et sub Beato Petro.

Quibus omnibus patet Formam praeferendam esse Monarchicam propter unitatem, sed temperatam, id est temperatam regimine et gubernatione plurium sub Monarca propter maturam et impartialem discussionem et solutionem negotiorum.

IN MONARCHIA TEMPERATA TEMPERAMENTUM QUODNAM SIT.

Quaeritur. — In Monarchia temperata quodnam sit temperamentum auctoritatis Principis, et in quo consistat praecipue subordinatio plurium gubernantium societatem.

Respondemus. — In judiciis Rex debet sequi majorem et saniorem partem votorum. En temperamentum Monarchae.

In Ecclesia valet " ubi Petrus ibi Ecclesia " ex Primatu et infallibilitate Summi Pontificis.

Rex eligit plures ad regendam societatem, eosque potest deponere. En subordinatio plurium uni Regi.

SEQUITUR DEMONSTRATIO PROPOSITIONIS:
FORMA MONARCHICA TEMPERATA PRAE CAETERIS EST PRÆFERENDA

Clarum est quod rectum regimen non sit regimen unius viri, cum ipse sit fallibilis et peccabilis, sed regimen multorum, quibus unus praesit ut Caput. Revera hic est ordo et necessitas naturalis regiminis, et hunc ordinem sequuntur Monarchae, tamen ipsi sunt peccabiles, patet igitur quae sunt necessaria et de natura ordinis socialis non esse committenda voluntati unius, sed esse statuenda in ipsa constitutione, et hoc est Monarchia temperata. Rectum enim regimen societatis ex ipsa natura requirit ut non unus tantum habeat curam gubernandi cives, sed plures constituantur pro bono publico obtinendo, quod quidem omnes faciunt qui praesunt societati, omnes enim Reges habent plures Ministros et consiliarios. Tamen potest evenire, et historia saepe evenisse docet, quod Monarchae cum sint peccabiles in hoc non satis prospiciant pubblicae utilitati, natura enim humana prona est ad auctoritatem in se servandam, potiusquam ad eam minuendam ea auctoritatis participatione subordinatis

Ministris et Officialibus quae sit necessaria pro bono publico, ut major servetur auctoritas in Monarca. Et hoc est temperamentum ex natura necessarium in Monarca, et non committendum fallibilitati et peccabilitati unius, nempe Monarchae, sed statuendum in ipsa societatis constitutione, cum sit societati necessarium, et cum ex historia constet, in hoc Imperantes de facto peccasse, in electione nempe Ministrorum et Officialium, quales, et quot requirat bonum commune.

Pariter aliud temperamentum Monarchiae ponendum in ipsa societatis constitutione respicit relationem Ministrorum cum Monarca, patet enim ex natura plus videre plures quam unum, hinc patet in judiciis respicientibus bonum publicum et regimen societatis, sive in legibus ferendis, sive judicandis, sive exequendis, sive generaliter, sive et multo magis in casibus particularibus, Regem ex ordine ipsius naturae non debere ipsum solum judicare, etsi ipse caeteris praesit, sed debere judicari juxta votum majoris et sanioris partis eorum qui populo immediate praesunt, et de populi negotiis judicant. Certum est omnes Reges uti consiliariis ad judicandum de bono publico, tamen si Monarchia sit absoluta libertati Regis committitur consiliariis uti vel non. Iamvero, ipsi Reges sunt fallibiles et peccabiles, non ergo eorum libertati erit committendum, sed in ipsis Constitutionibus statuendum quod est necessarium in societate, et de natura ipsius ordinis socialis, scilicet quod judicium de bono communi commissum sit oculis plurium potius quam unius, ita ut judicium in publicis negotiis resultet ex majori et saniori parte eorum qui populo praesunt et de populi negotiis curam habent.

Art. III. — **De qualitatibus Formae Monarchicae, et quomodo Forma Monarchica temperari debeat ut caeteris Formis sit praeferenda.**

In Gubernio Monarchico Ministri et Optimates ordinarie resident in civitate ubi residet Rex, neque alii eliguntur immediate ad gubernandum quot aliae Regni regiones et civitates re-

quirant, hinc fit quod in Forma Monarchica desit sufficiens exercitium regiminis et gubernationis, ex quo plures abusus nascuntur, defectio enim publicae et legitimae auctoritatis in singulis regionibus et civitatibus causa est deficientiae protectionis ad ordinem publicum servandum, deficiente autem protectione publica datur libertas maleficis nocendi aliis qui aliquando sibi usurpant publicam auctoritatem exigendo ab aliis taxas, et alia onera aliis imponendo. Et hoc est summum inconveniens in Forma Monarchica si Rex non eligat plures ad regendas et gubernandas diversas Regiones et Civitates Regni quot requirantur ad immediatum et sufficiens regimen habendum, ut nempe societas fiat non ad bonum sed ad malum commune, si enim cives non pertinerent ad istam Monarchiam sed essent liberi, non haberent hanc veluti legalem oppressionem ab illis qui sibi usurpant publicam auctoritatem, sed per aliam formam socialem suae utilitati prospicerent. Auctoritas igitur sine exercitio est impedimentum auctoritatis, quod causa est deficientiae publicae protectionis, proinde est causa abusivae auctoritatis illorum qui auctoritatem sibi usurpant ob deficientiam auctoritativae protectionis.

Quod quidem non est defectus Monarchiae in se spectatae, solus enim Monarca potest rectum regimen per electionem aliorum instituere, sed est defectus Monarchiae qualis saepe fuit de facto, uti constat ex historia, seu est defectus ipsius Monarchae, ex humana enim ambitione illi qui auctoritatem possident tendunt aliquando ad auctoritatem in seipsis unificandam, non ad auctoritatem cum aliis dividendam pro sufficienti exercitio regiminis, nolunt enim auctoritatem suam minui, et timent auctoritatem amittere si auctoritate abutantur cum plures de publicis negotiis judicent, et sint justitiae custodes.

Iamvero si ita auctoritas Monarchica sumatur una, ut non exerceatur per ministerium aliorum, una auctoritas erit nulla auctoritas, et proinde non erit ad bonum sed ad malum commune.

Vide exempli gratia Monarchiam Ecclesiae. In Ecclesia habemus exemplum ordinatae Monarchiae, et regiminis perfecti, quod habetur ex perfecta Hierarchia. Auctoritas enim quae universalis et independens est in Pontifice profert seipsam, seu exercitium auctoritatis, per totam Ecclesiam per Patriarchas, Primates, Archiaepiscopos, Episcopos, usque ad singulas Paraecias per Parrochos, quae Paraeciae sunt in Ecclesia veluti familiae in Societate Civili. Quae multiplicitas Pastorum ad regimen Ecclesiae habet fundamentum in institutione divina, Christus Dominus enim elegit duodecim Apostolos ad regendam Ecclesiam una cum, et sub Beato Petro, et discipulos septuaginta ad eos coadiuvandos.

Quod idem habemus in Veteri Testamento, Deus enim elegit Moisen Legislatorem et ducem populi electi, sed eum docuit de modo regendi populum, qui modus est plures eligendi, ut populum in plures partes et ordines subdivisum immediate regant, et gubernent, una cum, et sub Capite cui de rebus dubiis praesertim principalioribus judicium servetur.

CONCLUSIO.

Hinc est quod Forma praeferenda in societate est Forma Monarchica temperata, et quidem hoc temperamentum non erit expectandum ex libertate Monarchae, seu non erit committendum libertati Monarchae, cum et ipse Monarcha sit fallibilis et peccabilis, sed erit statuendum in ipsa societatis constitutione, quemadmodum Deus constituit in suo populo, praecipiendo Moisi, et Christus Dominus in sua Ecclesia.

Art. IV. — **De Giury.**

QUÆRITUR AN IN JUDICIIS CRIMINALIBUS INSTITUTIO QUÆ DICITUR GIURY SIT PRÆFERENDA INSTITUTIONI QUA SENTENTIA PROFERTUR TANTUM AB ORDINARIIS MAGISTRATIBUS.

EXPONUNTUR RATIORES PRO ET CONTRA.

Rationes Giury contrariae.

Pro recto ordine in societate servando multae institutiones sunt quibus committitur cura boni socialis in hac vel illa materia particulari, sunt nempe Professiones, et finis cuiusvis Professionis committitur non cuicumque sed peritis et approbatis in Professione ipsa, secus inutiles Professiones evaderent, et omnes essent periti, scilicet omnes essent Medici, omnes Advocati, omnes Iudices quod esset inconveniens. Hinc patet in judiciis criminalibus ordinarios Magistratus, Giury seu ceteris electis ex civibus ad judicandum esse praeferendos, isti enim saepe etiam necessaria ignorant ad judicium rectum proferendum.

Dices — Magistratus ordinarii sunt fallibiles in suo judicio. Ergo justum est eorum judicium rursus subjcere judicio aliorum, ut nova discussione appareat an sit rectum judicium vel non.

Resp. — Hoc fieri per appellationes quae jam institutae inveniuntur in judiciis prolatis ab ordinariis Magistratibus.

Dices — Ordinarios Magistratus posse corrumpi vel pecunia, vel timore sive privatorum sive etiam auctoritatis si non sit justa, et faveat sententiis iniquis.

Resp. — Idem fieri posse de civibus qui componant Giury.

Rationes quae favent Giury.

Iudices seu ex Professione periti in judiciis criminalibus sunt aptiores in processu efformando, habent enim longam experientiam, et modus aptiores sciunt colligendi testes, et eos examinandi, colligendi adjuncta, et circumstantias noscendi quibus

rectum judicium possit proferri. Experientia noscunt quam rigorose sit procedendum in judicio ferendo, et apparentes rationes a veris perfectius secernunt. Tamen processu recte disposito, testibus collectis, et cognitis circumstantiis et adjunctis ut judicium rectum possit proferri, et civibus componentibus Giury de cavendis antea admonitis ab ordinariis Magistratibus, cives componentes Giury sunt magis idonei ad rectum judicium proferendum, magis enim idonei ad aliquod judicium proferendum sunt illi qui praeter diligentias Juris quae a Magistratibus sunt positae, et de quibus a Magistratibus possunt moneri ante judicium, noscunt indolem personae judicandae, isti sunt concives personae judicandae. Pariter illi sunt magis idonei ad judicium proferendum qui noscunt plene facta totius vitae, nemo enim repente fit pessimus, hinc si quis cognoscatur a suis concivibus esse virum justum, erit suspicandum vel non commisisse, puta omicidium, vel id commisisse ex legitima defensione, sunt enim viri incapaces committendi grave crimen, uti omicidium voluntarium, et hi noscuntur tantum a suis vicinis, hinc erit dubitandum de testibus qui possunt esse venales, de judicibus qui possunt esse corruptos vel timore, vel favore, vel pecunia, de adjunctis quae possunt esse apparentia. Ita habetur in Sacra Scriptura quod judicium proferebatur a Magistratibus audito populo. Ita habemus Moisen constituisse alios subalternos judices qui populum in judiciis audirent, et ipsum tantum in necessariis adirent, cum ipse nimis gravaretur in ferendis sententiis in omnibus populi judiciis.

Praeterea concives sunt magis idonei, noscunt enim mores particulares istius vel illius regionis, et particulares relationes, et circumstantias individuales personae judicandae, ex quibus facilius possunt rectum judicium proferre.

Insuper cives componentes Giury sunt magis idonei ad judicium proferendum quia non facile possunt corrumpi, sive ab auctoritate si esset iniqua, sive a privatis, non sunt enim semper eaedem personae, sed mutantur juxta exigentias, hinc im-

possibile erit omnes corrumpere, quod esset necessarium ut iniqua auctoritas, vel potentes, hoc tribunal possint possidere quemadmodum ordinarium tribunal. Neque facile possunt corrumpi favore, vel pecunia, sunt enim multi, insuper timent falsam sententiam sustinere, vel pro falsa sententia votum proferre ante ordinarios Magistratus nempe ante auctoritatem quae posset eos ipsos de falso judicio condemnare. E contra in casu de falso judicio ordinariorum Magistratuum pro accusato poterit quidem appellari, sed si isti sint pro falso judicio conspirantes nihil poterit obtineri pro justo judicio habendo, quae conspiratio tribunalium pro sententia injusta erit possibilis, sive timore, sive favore et pecunia si iniqua esset auctoritas, vel potentes iniqui judicium agant contra impotentem.

DISSERTATIO III.

DE POTESTATE INDIRECTA ECCLESIAE IN TEMPORALIA.

Art. I. — **Ius Ecclesiae quoad materias temporales seu civiles.**

Jus imperandi in temporalibus quae necessaria sunt pro incolumitate societatis christianae spectat per se ad auctoritatem civilem, deficiente vero auctoritate civili Ecclesia potest et debet supplere defendendo societatem christianam ab hostibus sive internis sive externis.

Ita si Princeps sit societati nocivus, puta ob saevam tyrannidem, Summus Pontiifex potest declarare, subditos esse solutos a juramento fidelitatis, et Principem jure depositum, aliosque christianos Principes invocare, ut eum deponant de facto, declarando eos id posse, vel ad id teneri.

Id novem accidit vicibus, populos solutos fuisse ab obedientia, et proinde Imperatores, vel Reges jure depositos, et tantum in duobus postremis casibus sententia Pontificis effe-

ctum suum sortita non est, nempe tantum in duobus casibus Reges non fuerunt depositi de facto.

Pariter Ecclesia potest defendere christianam societatem ab hostibus externis, deficiente societate civili, invocando christianos Principes, vel eos obligatos declarando ad defensionem suscipiendam.

Ita factum est contra Saracenos, quando non modo injuste detinebant loca sancta, sed insuper minitabantur occupationem regionum christianarum.

Art. II. — De jure Ecclesiae in auctoritatem civilem.

Summus Pontifex per se loquendo nullum jus habet in Principes, tamen id potest habere per accidens seu ex necessitate, nempe deficiente auctoritate civili, certum est enim subditos non posse obedire in iis quae evidenter sunt peccata, Ecclesia autem potest declarare leges vel actus Principis esse peccata, et proinde leges esse irritas, actus esse puniendos puta ob enorme scandalum, vel Principem esse deponendum puta si sit anathema. Ita de facto aliquando leges civiles fuerunt declaratae irritae, Principes fuerunt puniti et etiam depositi, Ecclesia enim non solum potest vel tenetur declarare, sed etiam si possibile sit effectum obtinere, etiam invocando vim aliarum nationum.

Art. III. — De Principum correptione.

Principes pertinent ad Ecclesiam quemadmodum subditi, hinc ab Ecclesia possunt puniri. Ecclesia punit Principes vel ob delicta privata enormiter scandalosa, puta assumptionem alterius mulieris in uxorem, vivente prima, vel ob delicta in rempublicam ex. g. saevam tyrannidem. Ita Ecclesia corripuit Lotarium II. ob assumptionem alterius mulieris in uxorem vivente prima. Et S. Ambrosius poenitentiae subjecit Thoedosium Magnum ob caedem Thessalonicam.

Ecclesia punit Principes poenitentiis, et Censuris quae ad poenitentias suscipiendas impellant, et tandem depositione. Ali-

quando ipse Princeps denuntiavit Summo Pontifici alium Principem. Ita Rex Angliae Ioannes denuntiavit Innocentio III. Regem Franciae Philippum Augustum ut perjurium, nempe pacis juratae et violatae, quod judicium Innocentius III. suscepit.

Regalistae dicunt Sommum Pontificem processisse in hac causa ex jure publico medii aevi idest jure humano contingenti, agnoscebatur enim ut caput christianitatis etiam quoad internationalem tranquillitatem.

Respondemus Summum Pontificem semper esse caput christianitatis etiam quoad internationalem tranquillitatem, tenetur enim subditos adjuvare etiam in temporalibus quando sit necessarium, nempe deficiente auctoritate civili. Hinc ut caput christianitatis est etiam caput internationalis tranquillitatis si deficiant internationales relationes, vel si ipsi Principes pro tranquillitate internationali recursum faciant ad Summum Pontificem ut Caput Christianitatis, uti accidit Medio Aevo.

Ecclesia ut societas spiritualis directe habet jus ad spiritualia, sed ob connexionem rerum temporalium cum spiritualibus Ecclesia indirecte habet jus ad temporalia. Temporalia directe spectant ad societatem civilem, et Ecclesia haec ab ea exigit, sed ea deficiente supplet per se. Potestas autem Summi Pontificis in temporalia fundatur quoad vim executivam in obedientia fidelium, Summus enim Pontifex non habet vim armatam sufficientem, sed utitur brachio saeculari, seu auxilio catholicarum nationum, quae obedentia locum habuit praesertim media aetate.

Van-Espen objcit ex nostra theorica sequi Principes judicari posse etiam ab Episcopis, non modo a Summo Pontifice. — Resp. Principes aliquando judicati fuerunt in Conciliis nationalibus. Tamen Principes judicari debent cum magna reverentia et prudentia, hinc ipse Pontifex aliquando a judicio abstinet ad vitanda mala majora, proinde ita debent judicari ut alia mala vitentur, hinc si scandala timeantur ex judicio Episcopi certe debebit judicare Summus Pontifex.

Insuper judicium Episcopi est secundi ordinis, et subjcitur judicio Summi Pontificis. Tandem non est facile Episcopus, utpote in temporalibus subditus Regis, habeat eam libertatem quae pro judicio justo necessaria est.

Doctrina de Potestate indirecta Ecclesiae in temporalibus, generalius traditur in celebri Constitutione Bonifacii VIII. Unam sanctam, in qua praesertim haec attendas: " Oportet gladium " esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjci " potestati. Nam cum dicat Apostolus : non est potestas nisi a " Deo, quae autem sunt a Deo ordinatae sunt, non autem essent " ordinatae, nisi gladius esset sub gladio tanquam inferior re- " duceretur per alium in suprema... Ergo si deviat terrena po- " testas, judicabitur a potestate spiritali, sed si deviat spiritalis " minor, a suo superiore, si vero suprema a solo Deo....... " Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae de- " claramus, dicimus, definimus, et pronunciamus omnino essa de " necessitate salutis ".

Haec Constitutio Bonifacii VIII. male fuit interpretata, veluti si asseruisset Regnum Francorum, esse aliquo gradu feudalitatis seu specialis fidelitatis temporalis dependens a S. Sede, ut Regnum Siciliae vel Angliae, hinc secuta est eiusdem Regis aperta rebellio, qui Bonifacium vocavit Malefacium, declaravit falsum Papam, eumquem apud Ananiam captivum fecit.

Tandem Clemens V. Constitutione Meruit declaravit in Constitutione Bonifacii VIII. loqui de potestate indirecta ordinaria quae est exactiva in res temporales, hinc per eam non esse imminutam libertatem Regni Franciae.

Art. IV. — **De Principum depositione.**

Novem accidit vicibus Imperatores vel Reges depositos fuisse, aut solutos populos ab obedientia, a Gregorio II. anno 731. interdicente Italis solvere vectigalia Graecis, ad Paulum V. qui interdixit Venetam Rempublicam, et tantum in duobus postremis casibus sententia Pontificis effectum suum sortita non est.

Hic omittimus declarationes juris sive naturalis sive positivi quibus Summi Pontifices, interrogati ab iis quorum intererat, auctoritative pronuntiaverunt Principes amittere Regnum, sive jure naturae, sive ex limitationibus positivis quibus auctoritates constitutae fuerunt.

Ita explicanda est translatio Regni a prima Francorum dynastia, ad secundam Capeticam, ultimi enim Reges Merovingicae stirpis, qui et nihil facientes appellati sunt, umbram potius quam substantiam Regiae potestatis retinuerant, quae regia potestas exercebatur et possidebatur a Majore-domus potentissimo feudatario inter Regni dignitarios. Pipinus igitur illustris Caroli Magni filius, in regem exoptabatur a Regni primoribus. Interrogatus est igitur etiam Summus Pontifex Zacharias a Francis, et reposuit justum esse ut ille Regio titulo decoraretur qui respondenti potestate fruebatur.

Art. V. — **De Depositione Imperatorum.**

Notum est anno 800. Leonem III. Summum Pontificem renovasse in persona Caroli Magni dignitatem Imperatoris occidentalis, qui simpliciter Romanus Imperator dictus est. Romanus Imperator Medii aevi nihil aliud erat quam defensor armatus Ecclesiae contra hostes externos et internos. Ipse in se colligebat illam Ecclesiae protectionem quam jam exercuerant veteres Imperatores Romani. Ipse insuper ut caput defensionis Ecclesiae disponebat de viribus quas Ecclesia habebat ad se defendendam, vel quas alii Status vel fideles ei suppeditabant.

Hoc indicat ipsius jurisjurandi formula... " In nomine Chri-
" sti spondeo, atque polliceor ego N. Imperator protectorem ac
" defensorem fore huius Sanctae Romanae Ecclesiae in omni-
" bus utilitatibus etc. »

Summi Pontifices saeculo X. eligebant in Imperatorem qui electus esset Rex Germaniae. Conditio electionis a principibus electoribus posita, et acceptata ab ipso electo, erat ut illum intenderent eligere in Regem qui dignus esset ut a Pontifice in.

Imperatorem reciperetur. Hinc si a Pontifice deponeretur eo quod muneri suo defendendi Ecclesiam non satisfaceret, non solum amittebat dignitatem Imperialem, sed etiam Regnum quod erat Germaniae et Italiae.

Hinc cum Gregorius VII. deposuit Henricum IV., electores ei tempus constituerunt quo satisfaceret Pontifici quia excommunicatus, post annum et diem fiebat anathema, et cadebat suis juribus, quae a communione catholica pendebant, et juxta palatinas leges, indignus Regio onere habebatur.

Notum est saepe Imperatores considerasse patronatum Ecclesiae ut dominium, hinc multae ipsorum usurpationes, et pugnae cum Ecclesia. Ex quo factum est ut illa dignitas minueretur, et fieret potius nominalis quoad Ecclesiam, exceptis juribus regiis vel feudalibus in suis dominiis. Hinc si Pontifices deposuerunt Imperatores, id fecerunt jure proprio et speciali.

Art. VI. — **De Potestate Medio Aevo competente Summo Pontifici in temporalibus ut Capiti Christianitatis.**

Status unius nationis vel alterius plurimum interesse potest aliarum gentium sibi specialiter devinctarum, positione geographica, vel identitate stirpis, vel relationibus commerciorum, vel aliorum eventuum, uti ex. g. de nationibus Europaeis. In hac communione negotiorum jam adest fundamentum pro societate plurium nationum instituenda quae ethnarchica seu internationalis dici potest, in qua de consensu Principum communi vel praevalenti negotia communia concludantur.

Constitutio tamen proprie dicta huius societatis internationalis est valde difficilis, per accidens enim esset restrictiva independentiae Principum, etiam quoad negotia non communia, dum jam difficile sit Principes renuntiare suae independentiae tantum pro negotiis internationalibus. Adest tamen aliqualis societas internationalis, omnes enim quaestiones quae aequilibrium, ut ajunt Europeum tangunt, communi deliberatione praecipuarum saltem nationum, vel pace, vel armis definiuntur.

Jamvero Media aetate inter gentes Occidentis christianas aderat aliqualis societas internationalis, in eaque Ethnarca erat Summus Pontifex, gentes enim quae Romanum occupaverunt Imperium, ab Ecclesia susceperunt non modo Fidem, sed culturam quae fere in Clericis unice consistebat, et in ipsa sua constitutione illa Neo-Regna maximum auxilium habuerunt ab Ecclesia, Ecclesiam maxime venerati sunt, et Episcopos inter Regni primores habuerunt. Ecclesia Feudis ditata est et possessionibus, multaque Regna eidem oblata fuere. Hinc Summus Pontifex factus est veluti Caput Christianarum Nationum Occidentis ex voluntate ipsarum nationum, ut Caput Christianitatis, et ad pacem fovendam inter Neo-Regna etiam in eorum negotiis temporalibus. Hinc facta est veluti societas internationalis quae magis necessaria fuit, hinc strictior facta est sub uno Capite Romano Pontifice ad Saracenos debellandos nomini christiano infensos.

Summus Pontifex ad promovendum bonum commune etiam temporale huius Christianitatis, auctoritatem suam interposuit quoties necessitas id suaderet, eiusque interventum fuit susceptum libenter, et cum maxima utilitate.

Neo-Regnis autem constitutis, et Principum potestate solidior facta, Principes, ut saepe saeculo XIII, invocabant judicium Pontificis, indicantes, se in eum compromittere non quidem ut Pontificem, sed ut personam sapientem. In quo apparet semen desiderii Principum subtrahendi se a potestate Pontificis, cum non tamen valebant id praestare repugnante spiritu populorum.

Ex cura universali quam Romanus Pontifex suscipiebat Christianitatis etiam in temporalia eius judicium invocabatur ante expeditiones militares suscipiendas, et ab eo petebatur investitura novorum Regnorum, praesertim regionum quae detegebantur. Summus Pontifex removebat probabiles causas bellorum etiam praeveniendo, et imponebat modum omnibus negotiis etiam temporalibus Ecclesiae et Christianitati magis convenientia.

Quae cura Pontificum erat benefica, hinc libenter suscipiebatur, et si qui renuissent, jure potuissent a Pontifice coerceri tamquam hostes publici boni Christianitatis ideoque Religionis saltem indirecte.

Deficiente autem Principum et populorum veneratione, et praesertim succedente defectione plurium gentium ab unitate catholica, subjectum ethnarchicae potestatis non amplius fuit Pontifex, sed ipse consessus Principum praecipuorum. Imo factum est ut Pontifex neque utiliter procedere amplius posset ex mero jure divino in pluribus ex iis quae indirecte tantum ad Religionem referuntur.

De Societate Internationali quae existit nostris temporibus

Existente nunc Societate Internationali inchoata saltem gentium Christianarum, auctoritas intersocialis certe melius competeret Summo Pontifici ex sua spirituali potestate, instituitur enim praecipue ad concordiam, et pacem fovendam, et in determinandis limitibus territorii, vel potestatis, vel jurium inter Principes sine armis, in quo judicium Pontificis valde conferret, cum saepe ista negotia referantur ad conscientiam Principum. Etsi tamen ex facto humano, in foederatione Europaea intersocialis potestas sit in consensu Principum foederatorum Christianarum Nationum, tamen semper manet auctoritas in Pontifice ut Caput Christianitatis judicandi, et publica scandala sive populorum sive Principum corripiendi, et ad ea extirpanda invocandi vim Nationum Christianarum, si possibile sit, et si fideliter obediant.

Art. VII. — **De Potestate indirecta — Statuitur conceptum Potestatis indirectae Ecclesiae in temporalia.**

Finis Ecclesiae est bonum spirituale, sed ex connexione spiritualis cum temporali, Ecclesia indirecte indiget etiam temporali. Cura tamen boni temporalis pertinet ad Societatem Civilem, deficiente tamen Civili Potestate, Ecclesia supplet per se,

et suscipit curam etiam boni temporalis. Hinc Ecclesia semper habet potestatem indirectam in temporalia, quae consistit in potestate exigendi bonum temporale a Societate Civili, quam potestatem vocamus indirectam ordinariam, id est indirectam exactivam. Defectu autem Potestatis Civilis habet potestatem supplendi per seipsam, seu suscipiendi curam boni temporalis, quam potestatem vocamus indirectam extraordinariam, idest indirectam suppletivam. Hanc potestatem indirectam in temporalia extraordinariam seu suppletivam exercuerunt Medio aevo Summi Pontifices, sive in Neo-Regnis constituendis sive dirigendis, sive in Regibus consecrandis sive deponendis, sive dando investituram novorum Regnorum in America juxta regulas justitiae. Ad quae omnia Summus Pontifex habuit jus vel ex Principum voluntate vel ex necessitate, Summus enim Pontifex etsi pro bono spirituali indigeat temporali, tamen de hoc non suscipit directionem nisi extraordinarie, seu ex necessitate, id est deficiente potestate civili, quae defectio verificabatur maxime in constitutione, et directione Neo-Regnorum Media aetate, ita ut directio Ecclesiae in Statibus, etiam quoad temporalia, et personas Principum, invocata fuerit ab ipsis Principibus, et populis, sive pro interna directione, sive ad pacem fovendam, sive ad communem defensionem Christianitatis contra Saracenos.

Spirituale est connexum cum temporali, hinc auctoritas spiritualis quae habet curam finis spiritualis, deficiente auctoritate temporali, debet supplere pro temporali, quod vocatur indirecta competentia in temporalia.

Eadem ratione auctoritas civilis quae habet curam finis temporalis ordinandi ad finem spiritualem, debet non solum ita res temporales dirigere, ut spiritualibus non opponantur, sed ut ad spiritualia inserviant ut media, quod dicitur subordinari.

Ecclesia habet jus defendendi suam existentiam, et incolumitatem, sive contra infideles, sive contra rebelles subditos, hinc praeter poenas spirituales indiget vi armata, quam quidem

per se pertinet ad auctoritatem temporalem, sed Ecclesia ab ea potest exigere.

Ecclesia igitur habet jus ad vim armatam pro sua defensione, sed vim armatam non habet in se sufficientem, sed jus habet ad eam exigendam ab auctoritate civili, hinc in hoc Ecclesia indiget fidelitate fidelium, praesertim Imperantium. Societas constituitur ex conspiratione Imperantium, et subditorum, hinc in Societate Civili, potestas Imperantium indiget voluntate subditorum, et nonnisi in fidelitate subditorum Imperans habet vim coactivam. Pari modo Summus Pontifex habet vim armatam a fidelitate fidelium, praesertim Imperantium, ex qua fidelitate potest etiam a Statu infideli, vel haeretico se defendere.

Quemadmodum Imperans fidelitate caeterorum habet vim coactivam contra unum vel alterum subditum rebellem, et hac fidelitate indiget ad hunc finem, ita Ecclesia a fidelitate caeterorum Imperantium habet vim coactivam contra aliquem Imperantem rebellem, et hac fidelitate indiget ad hunc finem. Et haec est mensura vis coactivae in auctoritate, non solum potentia, sed et fidelitas subditorum. Quae fidelitas in Ecclesia sive subditorum sive Imperantium habita est Media aetate, hinc fortissima tunc fuit auctoritas Pontificum ad tuenda jura Ecclesiae.

Nunc autem est deploranda separatio ab Ecclesia Nationum sive Schismaticarum, sive Protestantium, quo difficilis evadit Pontifici defensio Ecclesiae, ex g. per depositionem alicuius Principis, etenim utique posset solvere subditos ab obedientia, eisque obedientiam etiam prohibere, sed Princeps etsi ejectus a suis subditis, protestando posset sese unire Protestantibus Nationibus ad subditos compellendos, vel ad agendum contra Pontificem, et ipsae Schismaticae, vel Protestantes Nationes possent sese movere contra Pontificem, ne eius auctoritas fortis evaderet in Catholicis Nationibus, et ita multo magis contra Schismaticos, et Haereticos.

Nec non deploranda est ablatio Dominii Temporalis S. Se-

dis, quo fit ut Pontifex non sit plene liber, neque ad exercendam suam libertatem, neque ad eam recuperandam, invenitur enim dependens, et veluti detinetur in suo Statu, quem si vellet vindicare, actualis auctoritas posset vim inferre ipsi Pontifici. Tamen si fortes essent et fideles Catholicae Nationes, utique posset Pontifex suam libertatem vindicare intervenientibus Catholicis Nationibus simpliciter per Tractatum cum Natione Italica in favorem Pontificis, quibus certe auctoritas Italiae non sese opponeret, praesertim cum etiam Itali, fideles sint catholici. Et si periculum esset oppositionis, Summus Pontifex posset praeventive in aliam Nationem sese conferre per aliquod tempus.

Tamen spes Ecclesiae, praeter Dei auxilium, est quod Schismaticae et Protestantes Nationes sint tales tantum nominaliter, et proinde non sint Ecclesiae infensae, sed potius evadant catholicae de die in diem, uti evenit praesertim in Nord America ubi populi Angli et Germanici rapide fiunt catholici, ex quo etiam patet Anglos et Germanicos esse Protestantes tantum nominaliter, et non fieri catholicos in Anglia et in Germania ut in Statibus Unitis in Nord America, quia Anglia et Germania sunt Status adhuc Protestantes.

DISSERTATIO IV.

DE REGIO PLACET SEU EXEQUATUR NEC NON DE ALIIS ABUSIBUS STATUS CONTRA AUCTORITATEM ECCLESIAE.

Art. I. — **Notio Regii Placiti seu Exequatur.**

Regalistae cum celebri Jansenista Bernardo Sigero Van-Espen qui in contumacia mortuus est saeculo elapso inenute, definiunt Regium Placet seu Exequatur, quod et assensus regius dicitur: " Facultatem quam civilis auctoritas impertitur Bullis, ac Brevibus Pontificiis, caeterisque omnibus Ecclesiasticae aucto-

ritatis actis, ut vim in sua ditione habeant „. Hinc jus Placiti definit: " Jus defensionis adversus Ecclesiae molimina natura insitum auctoritati politicae, cuius virtute declarat nullam habere vim Bullas, Brevia Pontificum, atque alium quemcumque actum Ecclesiasticae auctoritatis quibus facultas illa non fuit impertita „.

Juxta Van-Espen jus Placiti respicit actus disciplinares, tamen in opere De Promulgatione legum Ecclesiarum ait: " Regium Placet nequaquam spectat ipsum fidei assensum praestandum dogmati de quo fidelibus sufficienter constat esse revelatum, sed dumtaxat illud externum, quod consistit in ipsa dogmatis externa propositione, publicatione, et executione „. Regium Placet datur actibus auctoritatis Episcopalis, Regium Exequatur datur actibus auctoritatis Summi Pontificis. Verum nos sicut ipse Van-Espen sumimus Regium Placitum, et Regium Exequatur ut sinonima, ambo enim significant necessitatem assensus regii pro valore actuum jurisdictionis ecclesiasticae. Hinc concludit Van-Espen etiam Decreta Dogmatica subjci Regio Placito ut vim habeant in foro externo, quia possunt esse laesiva juris regalis, vel legittimarum consuetudinum, ut si transgressores in judicium vocentur extra provinciam, aut apud judices non recognitos, puta inquisitores, aut ob poenas quas irrogant, ut temporales pro laicis.

Ante Van-Espen Placitum Regium defensum fuerat ut exceptio, ipse illud proposuit ut regulam. In Regno autem Neapolitano, saeculo superiori, sub Ministro Tanucci, ut securius applicaretur Regium Placitum jussum est esse impetrandam a gubernio licentiam scribendi Romam super negotia ecclesiastica, quae dicebatur Liceat scribere. Haec dispositio abrogata est per Art 23. Concordati an. 1818. Et teste Spennati, usque ad finem elapsi saeculi laici citari non poterant ad tribunal ecclesiasticum neque ob causam haeresis absque regio assensu.

Art. II. — Origo et vicissitudines Regii Placiti seu Exequatur.

Anno 1378, mortuo Gregorio XI., et electo Urbano VI., ortum est magnum schisma occidentale, et circumferebantur plures Bullae falsae vel Pseudo-pontificum, hinc Urbanus VI., ut tradit Bonifacius IX. " in Bulla Intenta salutis, „ " concessit qui- " busdam praelatis, quod in eorum civitatibus et dioecesibus " non posset fieri executio aliquarum litterarum apostolicarum, " nisi prius huiusmodi litterae ipsis praelatis, vel eorum officia- " libus, et per ipsos essent approbatae „. Hinc mos apponendi Placet, vel Vidimus, qui extensus est in imminutionem Pontificiae auctoritatis ab Episcopis vel eorum Officialibus, hinc Bonifacius IX. Urbani VI. successor ad hunc abusum tollendum edidit citatam constitutionem anno 1403. Sed cum schisma perduraret, etiam abusus perseveravit, hinc schismate sublato, ad istum abusum extirpandum, Martinus V. edidit Bullam " Quod antidota„. Igitur Placet originem habuit ex concessione facta Episcopis a Pontifice ad vitandas falsas Bullas, quae concessio schismate extincto fuit retractata, et ita extirpatus abusus qui jam caeperat in Episcopis in imminutionem pontificiae auctoritatis.

Durante schismate Principes per diversa Regna adhaerebant uni vel alteri Pontifici, et aliquando muniebant sanctione civili Bullas Pontificum quibus adhaerebant caeteris exclusis.

Clerus Galliae adhaerebat Pontificibus Avenionensibus, sed anno 1399. sese subduxit ab obedientia utriusque Pontificis in suis conventibus apud Lutetiam Parisiorum, eo quod Pontifices Avenionenses multis indigentes facile concederent litteras expectativas, et imponerent super beneficia pensiones et alia onera. Et Rex statuit nullo Rescripto Papali executionem dandam esse quod adversaretur juribus et libertatibus Ecclesiae Gallicanae.

In Anglia regnante Reccaredo II. 1381-1399. cum Episcopi quererentur de collationibus beneficiorum Ecclesiae Anglicanae frequenter factis a Papa, conventum est tantum favore Cardina-

lium faciendas esse si de extraneis Regno ageretur, pro civibus autem requiri assensum regium. Etsi autem schismate occidentali durante Anglia pareret Pontifici Romano, tamen anno 1391. Parlamentem Regni statuit multa in praejudicium Ecclesiae, et inter alia neminem excommunicatum haberi posse a Papa, nec ullum eius preeceptum executioni mandandum esse.

Item Martinus Rex Siciliae vetuit publicari litteras pontificias sine Regio Placet, anno 1405.

Idem factum est in Lusitania praetextu schismatis.

Schismate extincto, Carolus VII. Rex Galliarum, juxta Constitutionem Martini V. " Quod antitoda ", jussit Rescripta et Bullas Pontificias statim esse executioni mandandas, et sic cessavit Placitum Regium in Gallia, ut pariter factum est in caeteris nationibus.

En igitur quomodo uti diximus durante schismate Placet concessum fuit Episcopis a Pontifice Urbano VI. ad discernendas veras Bullas, et ista fuit prima origo Placiti, quod fuit Episcapale ex concessione Pontificis ad approbandas Bullas. Nationes vero catholicae durante schismate partim sese subduxerunt ab obedientia Pontificum, partim invocaverunt Regium Placet pro executione mandatorum Pontificum. En Placet concessum Episcopis ab ipso Pontifice ad recognoscendas Bullas, ab ipsis Principibus invocatum ad quemcumque errorem vel abusum in Statu cavendum, quod Placet sive Episcopale sive Regium cessavit cessato schismate.

Tamen Placet quod tempore schismatis necessitate concessum fuit Episcopis a Pontifice, et a Principibus sine concessione exercito, hoc ipsud Placet quod cessavit extinctione schismatis, post aliquod tempus rursus aliqui sibi vindicaverunt praetextu necessitatis ad cavendos errores etiam post extinctionem schismatis, quod a Pontificibus semper damnatum fuit ad defendendam plenam competentiam et independentiam auctoritatis Ecclesiae in suis actibus.

Primus qui sibi vindicavit jus Placiti tanquam jus Regium

fuit Ioannes II. Lusitaniae Rex saeculo XV., qui statuit litteras Apostolicas non esse publicandas ante revisionem Regiae Cancellariae. Sixtus IV. eum graviter reprehendit. Innocentius VIII. eum damnavit Brevi " Olim „ die 3. Februarj 1486. Rex sese submisit, et jussit litteras apostolicas libere publicandas et exequendas.

Pariter Innocentius VIII. anno 1486. editit Constitutionem " Dilectus Filius „, in qua praecipit Magistratibus Brixiensibus id renuentibus executionem dare sententiae Inquisitoris absque ulla revisione causae vel processus, sub poena excommunicationis intra sex dies incurrendae ni pareant.

Ita anno 1501. Alexander VI. deposuit a Regno Neapolitano S. Sedis feudali Regem Fridericum, inter alias causas quia volebat Bullas Pontificias executioni non demandari absque Regio Exequatur.

In Hispania anno 1515. Leo X. Constitutione " Regimini „ vetat laicis sese immiscere rebus ecclesiasticis, et anno 1518. in Hispania ipse Leo X. Constitutione " In Supremo „ non modo rejecit Placitum Episcopale ab Episcopis petito praetextu falsarum literarum, sed etiam Placitum Regium, quod in Hispania per id temporis coeperat adhiberi.

In Regno Neapolitano S. Sedis feudali iterum damnatur Placitum Regium a Clemente VII. Constitutione " Romanus Pontifex „ sub Carolo V. Item S. Pius V. excommunicavit Vice-regem Neapolitanum qui primus fuit qui aperta lege Placitum Regium exigere ausus est. Vice-Rex sese subjecit, et S. Pius V. eum absolvit.

In Gallia resuscitari caepit Regium Exequatur an. 1665, quod cessaverat ab extintione schismatis. Resuscitari coepit cum limitatione, nempe tantum pro Bullis respicientibus leges generales, ne Pontifex noceret libertatibus gallicanis.

In Hispania admissa fuit appellatio ad Tribunal Regium sub nomine juris supplicandi Pontificem. Hoc damnavit S. Pius V., etsi enim quisque habeat jus recurrendi ad Summum Pontifi-

cem, non habet tamen regulariter jus suspendendi executionem actuum eius.

In Belgio cum plures essent Jansenistae resuscitatum fuit Regium Placet anno 1657. quod damnavit Innocentius XI. Constitutione " Decet Romanus Pontifex » an. 1689.

Saeculo XVIII. bellum acrius factum est contra Ecclesiam ideoque et Regii Placiti abusus.

In Hispania praesertim sub Philippo V. qui ejecit Nuntium Pontificium, et prohibuit subditis quamlibet communicationem cum Romana Sede. Sed post Constitutionem Clementis XI. " Alias ad Apostolatus „ 1711. Rex Philippus iniit Concordatum cum S. Sede, quod tamen ab eius successore Carolo III. parum observatum fuit.

In Sicilia anno 1714. intimantur contravenientibus Regio Placito quinque anni carceris, privatio vocis activae et passivae, et aliae poenae reservatae arbitrio judicis Monarchiae. Clemens XI. publicavit huius Edicti damnationem Bulla « Nova semper » anno 1714., tunc Monarchia publicavit aliud Edictum an. 1714. quo contravenientes privantur bonis et in exilium aguntur si Ecclesiastici, si laici incurrunt indignationem Regis et poenas arbitrarias.

In Sabaudia an. 1719. Clemens XI. damnat Regium Exequatur Constitutione « Ad Apostolatus nostri ». Benedictus XIV. concessit Regi Sardiniae simplex visura in aliquibus casibus, tantum ut sciret an reclamare deberet privilegia ei concessa a Pontifice, quin aliquod signum vel sigillum Regium in eis poneretur.

Sed idem Benedictus XIV. an. 1742. Placitum generaliter damnat Constitutione Pastoralis Regiminis.

In Hispania an. 1763. Clemens XIII. damnat Carolum III. Placiti abusum renovantem.

In Gallia idem Pontifex an. 1766. damnavit Ludovicum XV. praescritiones Placiti Regii renovantem.

Idem Pontifex damnavit Ducem Parmensem an. 1768.

Item in Regno Neapolitano fovebatur servitus Ecclesiae praesertim opera Ministri Tanucci, et in Etruria sub Leopoldo Magno Duce.

Tandem Saeculo XVIII. etiam in Germania pullulare coepit abusus Regii Placiti, quod tamen tantum sub Josepho II. in systhema pertransiit, et nota est sollicitudo et peregrinatio Pii VI. ad mala Ecclesiae mitiganda.

Supervenit nota socialis subversio. Rebus civilibus compositis, Principes curaverunt foedus inire cum Ecclesia per Concordata.

Principia subversiva rursus praevaluerunt, et proclamata est libertas generalis, exclusa tantum Ecclesia ab eius participatione, aut saltem multis ei oppositis limitationibus.

His et aliis solemnissimis Constitutionibus damnatum fuit Regium Placitum, et Regium Exequatur.

Tamen aliquando Ecclesia ad majora mala vitanda, praesertim deficientiam Sacrorum Ministrorum, tolerat ut a clericis impetretur hoc Regium Placet, et aliquando in Concordatis pro minoribus beneficiis, aliqua privilegia Principibus concessit.

Art. III. — **De Placiti Regii injustitia.**

Totum fundamentum Regii Placiti videtur esse jus Principum tuendi jura civilia, et videndi an mandata Ecclesiae cum circumstantiis Regni componantur, et sub vero fundamento innitantur. Jamvero aliud est aliquid observare circa Ecclesiae mandata, et difficultates proponere ipsi Ecclesiae ut subditus, nempe sese subjciendo ultimo judicio Ecclesiae, et aliud est vim et executionem dare mandatis Ecclesiae vel auferre prout subditus judicaverit, ratione defensionis, vel cavendi. Primum est de ratione subditi, secundum non est proprium subditi, sed Superioris, dare enim vel auferre vim executivam est approbare legem vel annullare. Jamvero Ecclesia est independens, et Superior Statui, hinc habet plenam competentiam ferendi leges non exclusa potestate executiva, si enim leges Ecclesiae penderent

a Statu in executione, tunc Ecclesia non haberet veram auctoritatem, quia careret elemento constitutivo auctoritatis, nempe potestate executiva, et esset subdita Status, quemadmodum Consortium, seu particularis Societas in Statu, puta Societas commercialis, cuius leges possunt a Statu approbari vel annullari. Status igitur non habet potestatem dandi vel auferendi vim et executionem mandatis Ecclesiae, sed tantum proponendi Ecclesiae quidquid videatur opportunum observare circa Ecclesiae mandata sese subjciendo ultimo judicio Ecclesiae, quod est de jure cuiusvis subditi erga competentem auctoritatem. Hoc modo cives provident suis juribus ne graventur a Principe, proponendo nempe auctoritati quidquid in lege videatur onerosum, non tamen sibi irrogant jus dandi vim executivam vel non legibus Principis, quod esset imperare Principi, approbare nempe legem vel eam annullare. Ecclesia autem est Superior Statui, hinc si qua lex Status sit injusta eam damnat.

Art. IV. — **De Regia Nominatione**

CIVILIS AUCTORITAS NULLUM JUS HABET PROPRIUM IN NOMINANDIS EPISCOPIS, SED TANTUM AB ECCLESIA DELEGATUM.

Regalistae tribuunt civili auctoritati jus nominandi Episcopos ratione tuendi jura Status, sed hoc jure Regiae Nominationis tribuunt sibi ecclesiasticam jurisdictionem in re gravis momenti, et eadem ratione tuendi jura Status sibi tribuunt jus removendi Episcopos ab ipsis electos.

Jamvero per jus electionis et jus remotionis in Principe Episcopus dependet a Principe in suo esse, et per consequens etiam in operari, quia si non placet Principi, Princeps potest eum removere.

Jamvero Episcopi debent eligi juxta finem Ecclesiae, et juxta Ecclesiae directionem debent operari, et tantum judicio Ecclesiae removeri, et haec omnia sunt ecclesiasticae jurisdictionis, et gravis momenti. Eodem principio tuendi jura Status

Regalistae tribuunt auctoritati civili jus dandi vim et executionem legibus Ecclesiae vel non, et ita leges Ecclesiae vel recipiendi vel annullandi, et hoc sub nomine Regii Placiti. Jamvero tribuere civili auctoritati jus nominandi Ecclesiae Ministros, et eos removendi per jus Regiae Nominationis, et jus recipiendi leges Ecclesiae vel annullandi per Placitum Regium, est tribuere civili auctoritati omnem auctoritatem Ecclesiae, quod non est tueri jura civilia, sed destruere Ecclesiam, Ecclesia enim consistit in sua auctoritate, et omnis Ecclesiae auctoritas consistit in Ecclesiae Ministris et in Ecclesiae legibus.

Ergo civilis auctoritas nullum jus habet proprium in nominandis Ecclesiae Ministris.

Potest tamen civilis auctoritas habere jus delegatum nominandi Episcopos, Ecclesia enim potest id concedere per Concordata vel Privilegia, et tunc non laedit auctoritatem Ecclesiae, jus enim dependet tunc ab Ecclesia, et tamdiu perdurat quamdiu ab Ecclesia non revocatur.

Ita Regalistae tribuunt Statui jus exigendi juramentum fidelitatis ab Episcopis, quod pariter est tribuere Statui quamdam auctoritatem in Ecclesiam, etenim exigere juramentum fidelitatis ab Ecclesiae Ministris idem est ac ipsis imponere alteram sanctionem praeter ecclesiasticam pro fideli exercitio proprii ministerj eos obligando novo vinculo obligationis scilicet juramenti, et eos damnandi poena perjurii si ministerium fideliter non exerceant, quod est onus valde grave pro conscientia jam recta et timorata.

Potest tamen Ecclesia permittere Episcopis praestare Statui hoc juramentum fidelitatis, ut aliquando permisit ex gravibus rationibus, vel ad vitandas suspiciones. Sic permisit jurare feudatariis Episcopis.

Art. V. — **De Jure Regaliae.**

JURE REGALIAE PRINCIPES POSSUNT GAUDERE CONCESSIONE ECCLESIAE NON JURE PROPRIO.

Definitio. — Jus Regaliae est " jus Principis fruendi praebendis vacantibus, et nominandi ad beneficia non curata sede vacante. "

Jus Regaliae potest competere Principi concessione Ecclesiae, eo modo quo Principes possunt gaudere Jure Patronatus si tales conditiones apponant et ab Ecclesia sint acceptatae. Non possunt tamen hoc jus sibi tribuere ut proprium, quia a prudenti electione Ministrorum dependet bonum Ecclesiae, et proinde eorum electio pertinet ad auctoritatem ecclesiasticam.

Origo et Historia.

Reges aliqui id sibi adscripserunt jure proprio, hinc nomen Regaliae. Id processit ex falsa applicatione juris feudalis, quia feudum vacans redibat ad dominum (seniorem) donec rursus ab eo conferretur.

Beneficia vero non ad normas Juris Feudalis sed Canonici intelliguntur constituta, nisi aliud probetur.

Concilium Lugdunense II. toleravit jus Regaliae ubi esset pacifice introductum, severe tamen vetuit eius extensionem.

Imperator Rodulphus anno 1275. renuntiavit pro universo Imperio juri Regaliae, declarans fuisse suorum antecessorum usurpationem.

In Gallia hoc jus primo assertum est a Parlamento Parisiensi anno 1608. Sub Ludovico XIV. extensum est ad omnes Provincias repugnante Sancta Sede.

Tempore praesenti Status sibi tribuit bona beneficii vacantis sub principio quod Ecclesiae non competat jus acquirendi et possidendi bona temporalia nisi ex concessione Status qui hoc jus ei concedit revocabile et sub conditione quod officio vacante ususfructus redeat ad coronam.

Art. VI. — **De Appellatione tamquam ab abusu.**

Definitio. — Appellatio est: " provocatio ab inferiore ad superiorem judicem ratione gravaminis illati vel inferendi. „

Rationes Regalistarum. — Regalistae dicunt competere Principi jus recipiendi appellationes a sententia tribunalis Ecclesiastici quia auctoritas laica debet protegere subditos a quacumque tyrannide et oppressione. Remedium appellationis, seu recursus ad Principem vocabant *Remedium Cassationis laicae.* Poenae autem contra judicem ecclesiasticum quem tribunal laicum putabat procedere contra jus erant: 1°. occupare ejus bona temporalia. 2°. auferre ei civitatem. 3°. punire executores etiam sententiae pontificiae.

Propositio. — Status non habet jus recipiendi appellationes tanquam ab abusu a tribunali ecclesiastico ad suum tribunal.

Demonstratio. — Ratio est quia auctoritas Ecclesiae est auctoritas perfecta, et proinde habet potestatem sive legislativam sive judiciariam sive executivam. Iamvero non haberet potestatem judiciariam et executivam si ab ejus sententia posset appellari ad sententiam Status, quemadmodum a sententia Status non licet appellare ad sententiam alterius Status, quia in ipso Statu ad abusos vitandos statuuntur tribunalia superiora ad quae liceat appellare, et tribunalia suprema ultra quae non liceat appellare ad tribunalia alterius Status, quia secus procederetur in judicium interminabile, et nullum tribunal esset competens et sufficiens pro justa sententia ferenda, quod esset evadere a justitia. Auctoritas Ecclesiae est auctoritas divina, nempe a Christo Domino instituta, et est auctoritas ordinis superioris et magis idonea ad justitiam ferendam, quia est instituta ad tutelam justitiae et ad vitandam oppressionem. Ergo est Ecclesia tribunal supremum, non Status, et ipsa potest recipere appellationes a Statu ad suum tribunal supremum, quia est magistra infallibilis veritatis sive quoad fidem sive quoad mores, scilicet sive in credendis sive in agendis.

Rejcitur Ratio Regalistarum. — Regalistae defendunt Statum habere jus recipiendi appellationes a tribunali Ecclesiae, quia debet protegere subditos ab oppressione officialium Ecclesiae. Jamvero haec ratio non valet, quia hoc fit appellando ad tribunal ecclesiasticum superius usque ed Summum Pontificem qui est judex supremus. Recipere autem appellationes a Potestate Ecclesiastica ad tribunal laicum esset sese constituere supra auctoritatem Ecclesiae, appellatio enim est recursus ab inferiore ad superiorem judicem. Quod si liceret ad oppressionem vitandam appellare ad aliud tribunal ultra competens tribunal supremum, tunc quisque civis ratione se tuendi contra oppressionem Status posset appellare ad aliud tribunal alterius Status, et ita nullum tribunal etsi supremum esset sufficiens sed semper maneret jus appellandi ratione cavendi ab oppressione. Dicendum igitur quod datur appellatio in Jure, sed competens, et usque ad tribunal supremum quod competens et perfecta auctoritas pro justitia statuerit, secus quisque a justo judicio posset evadere. Ecclesia autem est auctoritas competens, et sibi sufficiens, et ordinis supremi, a supremo igitur Ecclesiae tribunali non licet appellare.

Art. VII. — **De Sententia judicis ecclesiastici evidenter injusta.**

Id argui potest ex generali principio Juris tum Canonici tum Civilis sententiam evidenter injustam vel manifeste iniquam esse nullam etiam sine appellatione. Ita explicatur quod Doctores praestantissimi asserunt de jure rejciendi sententiam judicis ecclesiastici manifeste invadentis campum auctoritatis civilis contra certam doctrinam ipsius Ecclesiae. Tamen quoad sententiam injustam ex omissione solemnitatum notandum est quod si agatur de ipso Principe judicante, Princeps potest sciens et prudens dispensare ab omnibus solemnitatibus, servatis essentialibus de jure naturae.

Art. VIII. — **De injusta sententia Summi Pontificis**

In dubio justitiae standum est pro ejus sententia.

Quid in casu evidentis abusus Supremi Pontificis in iis quae mutare nequit, ideoque cum ejus sententia sit directe vel indirecte contra jus divinum?, etenim in factis particularibus potest et ipse errare.

Resp. — Tunc per se quis non tenetur obedire, sed teneri poterit per accidens ad vitanda scandala.

Quid si Summus Pontifex praecipiat illicita?

Resp. — Tunc obtinet quod ait Bellarminus De Romano Pontifice lib. 2. cap. 29. " Licet resistere Pontifici invadenti ani-" mas vel turbanti rempublicam, et multo magis si Ecclesiam " destruere videretur, licet inquam ei resistere non faciendo quod " jubet, et impediendo ne exequatur voluntatem suam. Non ta-" men licet eum judicare, vel punire, vel deponere, quod non " est nisi Superioris. „

Datur recursus ad civilem potestatem contra evidentem injustitiam judicis ecclesiastici, secluso scandalo, si non pateat recursus ad ipsam Ecclesiam.

Ita S. Ioannes Chrysostomus cum damnatus esset ex manifesta injustitia a Theofilo Patriarcha Alexandrino appellavit ad Imperatorem ne a sua Sede pelleretur.

Ita recurri potest ad Civilem Potestatem si quis legittime appellet ad superius tribunal ecclesiasticum ex. g. ad Summum Pontificem, et judex inferior ex. g. Episcopus nolit suspendere sententiam, vel nolit permittere, et materialiter impediat recursum ad Sanctam Sedem ex. g. si in carcere teneat appellantem.

Art. IX. — **De sententiis ex informata conscientia.**

Historia. — Ante Concilium Tridentium statutum erat clericos petentes promoveri ad altiores ordines non posse repelli nisi ex causa canonica demonstrabili in foro externo, exceptis

Regularibus ob votum obedientiae. Idem erat de suspensione ab ordine jam suscepto.

Concilium Tridentinum statuit posse sive repelli, sive suspendi, etiam sine causa demonstrabili in foro externo, id remittens prudenti judicio Episcopi, posse tamen recurri ad Summum Pontificem, qui ab Episcopo exquiret motiva, et judicabit de ipsorum veritate et gravitate prudentia sua, non tamen probationes seu testes quia possunt deesse.

Causa vero potest esse non demonstrabilis vel quia desunt probationes delicti, quamvis Episcopo certo constet, vel quia sequeretur grave damnum ipsi Episcopo, aut scandalum in plebe.

Definitio. — Hae sententiae sive repellentes sive suspendentes ab ordinibus sine causa demonstrabili in foro externo, dicuntur sententiae ex informata conscientia.

Propositio. — Sententiae ex informata conscientia non sunt abusus sed justae ex necessitate.

Demonstratio. — Regalistae rejciunt sententias ex informata conscientia praesertim in Suspensione, cum agatur de jure acquisito, quia fiunt absque probatione juridica, et tantum fiducia in probitate unius nempe Episcopi.

Jamvero abusus videretur adesse si eligendi vel electi ad sacrum ministerium possent impune committere delicta erga Episcopum, vel ante oculos Episcopi, quin ipse possit eos excludere à Sacro Ministerio ut indignos ob deficientiam aliorum testium. E contra si Episcopo certe constet de delicto, et hoc asserat coram Christi Vicario Romano Pontifice, jam adest sufficiens probatio pro casu necessitatis, nempe ad vitandos pravos Ministros in Ecclesia.

Periculum autem quod posset consequi ex probatione fundata tantum in testimonio et proinde tantum in probitate Episcopi est valde leve contra impunitatem subditorum quando Episcopo certe constet de delicto, et tamen debeat reos tolerare, et in ministerio admittere ex deficientia aliorum testium.

Nostris temporibus saepe Episcopi nequeunt judicialiter pro-

cedere, quia obstarent leges civiles, tunc juxta finem Tridentini Episcopi procedunt ex informata conscientia. In Italia ex. g. non multis abhinc annis plures presbyteri subscripserunt litteris Caroli Passaglia ad Pontificem directis, quibus eum rogabant ut renuntiaret dominio temporali, ac proinde incurrerunt in Censuras latas a S. Pio V. in Constitutione « Admonet nos, » hinc quidam Episcopi ne se exponerent poenis civilibus allegando causam, eos suspenderunt ex informata conscientia, et interrogata S. Sede an Suspensio haec sustineretur, responsum est an. 1863. affirmative.

Argumentum confirmativum. — In qualibet societate pubblici Officiales subjciuntur exceptionali potestati Superiorum qui aliquando procedunt non judicialiter sed administrative, et arbitrio seu prudentia sua in suspendendis inferioribus, secus aliquando impossibilis esset recta gubernatio.

Art. X. — **De Legatia seu Monarchia Siciliae.**

QUID SIT LEGATIA SEU MONARCHIA SICILIÆ:

Enormitas complectens hactenus recensitas usurpationes laicae potestatis verificata est in ea quae dicitur Monarchia Siciliae.

Monarchia Siciliae consistebat in hoc quod Rex eiusdem esset Legatus Summi Pontificis a latere natus, concedendo dispensationes, indulgentias, beneficia minora et majora, judicando ecc., et insuper nullum alium Legatum a S. Sede mitti posset nisi de consensu Regis, quod redolet indolem schismaticam.

In Legatia Siciliae 1.° Rex erat laicus. 2.° contendebant Reges potestatem sibi concessam esse irrevocabilem. 3.° impediebant alios Legatos. 4.° impediebant recursum immediatum ad Summum Pontificem nisi impetrata venia scribendi. 5.° impedibant executionem Rescriptorum Papalium nisi obtento Regio Exequatur.

Jamvero postrema quatuor sunt schismatica.

Art. XI. — **Origo et Critica Legatiae Siciliae.**

Bulla concessionis Legatiae dicitur data ab Urbano II. an. 1095. vel 1099. Rogerio I. Magno Comiti Siciliae, sed usque ad annum 1512. jacuit ignorata.

Eam dixit detegisse anno 1512., et publicavit Ioannes Lucas Barberius, qui tamen eius Codicem nemini ostendit.

Hic Barberius accusatus est de pluribus diplomatibus confictis, quas accusationes ratas habuit Ferdinandus Rex dictus Catholicus.

Sub Carolo V. quaesita sunt exemplaria antiqua huius Bullae, sed frustra.

Primus qui de ea loquitur est Gaufridus Malaterra in sua Chronica, quae quamvis scripta in Sicilia, tamen per quatuor saecula ignorata fuit, et publicata est tantummodo anno 1579. in Hispania jussu Regis, dimidio saeculo postquam detecta fuerat a Barberio. Edita est a Hieronimo Surita viro egregio, sed non de ipso dubitatur, verum de Barberio.

Ultimum Documentum huius Chronicae est dicta Bulla Urbani II.

Chronica de hac Legatione ait: — " Legationem B. Petri super " Siciliam habitam, et habendam haereditaliter ponit ea discretione, " ut dum ipse Comes advixerit, vel aliquis *haeredum suorum* " *zeli paterni ecclesiastici executor* superstes fuerit, Legatus " alius a Romana Sede ipsis invitis nullus superponatur ".

Chronica haec quoque habet: — Sed si quae Romanae Eccle- " siae juris exequenda fuerint, chartulis a Romana Sede in Si- " ciliam aut Calabriam directis, per ipsos, consilio Episcoporum " earundem provinciarum authentice definiantur ".

Inter alias autem concessiones in dicta Bulla haec habetur: — " Si vero celebrabitur Concilium, tibi mandavero, quatenus Epi- " scopos, et Abbates tuae terrae mittas mihi, quot, et quos vo- " lueris mittas, alios ad servitium Ecclesiarum ac tutelam de- " tineas ".

Pars autem substantialis Privilegi est, — « Quod omni vitae tuae " tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius qui legittimus tui " haeres extiterit, nullam in terra potestatis vestrae, praeter vo- " luntatem aut consilium vestrum, Legatum Romanae Ecclesiae " statuemus; quin imo quae per Legatum acturi sumus, per ve- " stram industriam legati vice exhiberi volumus ".

Bulla supradicta non est genuina. -- 1.° Id probat Card. Baronio. Clemens VIII. commisit C. Baronio ut scriberet de hac Legatia. C. Baronio probavit Bullam Urbani II. non esse genuinam, et Legatiam esse negandam.

2.° Etsi citata Bulla esset genuina, fuisset concessio tantum personalis facta Rogerio et eius filiis, et quidem conditione quod zeli paterni Ecclesiastici executores fuissent, quae conditio non est verificata.

3.° Ait Malaterra, Urbanum II. concessisse Legatiam Rogerio Comiti, cum vidit, se non posse aliter eum placare indignatum, ex eo quod Legatum nominaverat Episcopum Trainensem.

Art. XII. — **Historia Critica usurpationum quae comprehenduntur sub nomine Legatiae Siciliae.**

Certum est per alia Documenta Rogerium I. fuisse carissimum Pontifici Urbano II., et ab eo multas obtinuisse facultates in Ecclesiasticis, etiam erigendi cathedrales, et dioeceses circumscribendi. Nec mirum cum ipse Siciliam liberaverit a jugo Saracenorum qui a pluribus saeculis ibi dominabantur. Hinc res christianas omnino collapsas restituit, Ecclesias readificando, dotando etc., et simul resistendo Graecorum insidiis, qui eas Ecclesias ab obedientia Romanae Ecclesiae subtrahere tentabant.

Rogerius II. filius Rogerii I. usurpavit administrationem bonorum sedium vacantium, impedivit Legatos Papae, item Episcopos ne Romam venirent, ob quae ab Honorio II. excommunicatus est.

Tamen nunquam Legationem patri suo, et sibi eius filio concessam allegavit, neque ceteri Reges subsequentes eam invocaverunt, hinc vel praesumpta Bulla nunquam extitit, vel non fuerunt " zeli paterni Ecclesiastici executores ", quae esset conditio concessionis in Bulla.

Praetensiones Rogerii II. erant sequentes: — I. Immiscere se electionibus Praelatorum, et administrationi Ecclesiarum vacantium.

II. Non habendi Legatos Apostolicos in suo Regno nisi ipse vellet.

III. Episcopos non egredi e Regno absque eius consensu.

Eius filius Guillelmus I. qui dicitur Malus addidit:

IV. Non esse Romam appellandum absque Regio consensu.

Tribus annis Guillelmus I. regnavit cum patre suo, quo mortuo bellum indixit Papae Adriano IV. quem obsedit apud Beneventum, et ab eo impetravit quaecumque volebat super dicta quatuor capita.

Jamvero hoc probat Bullam Urbani II. non extitisse, quia in hac Bulla continentur concessa tria Capita prima pro Rogerio I. et filiis eius. Tamen ipse haec Capita non invocavit vi Bullae, sed per vim extorsit Adriano IV. Et Adrianus IV. in Bulla concessionis eum non vocat Legatum, nec facit mentionem de Legatia Rogerii I. et filiorum.

Guillelmus II. filius Guillelmi I. qui filius dictus est Guillelmus Bonus non exegit jura quatuor Capitulorum in iis in quibus erant Ecclesiae nimis onerosa, praesertim quoad appellationes, ut apparet ex Brevi Alexandri III., et multum adjuvit Papam contra Fridericum Aenobarbum.

Clemens autem II. Alexandri III. successor ex gratitudine eidem Guillelmo II. concessit uteretur quatuor Capitulis extortis ab ejus Patre. Sed usque ad Benedictum XIII. non amplius invenitur Sanctam Sedem consensisse praeterquam usui primi Capituli, seu de electionibus Praelatorum.

Quod iterum probat concessionem per Bullam Urbani II. non extitisse.

Mortuo Guillelmo II. absque liberis ei successit Tancredus filius naturalis Rogerii primogeniti Rogerii II.

Tancredus scripsit Caelestino III. de appellationibus libere faciendis, de Legatis libere mittendis, de electionibus libere faciendis etc., concedendo ita libertatem.

Pariter modus quo se egit Tancredus probat vel non extitisse Bullam Urbani II., nempe concessiones pro Rogerio I. et filiis eius, vel concessiones non posse sustineri ob deficientiam conditionis, quia nempe Tancredus ratione circumstantiarum non poterat esse executor zeli paterni Ecclesiastici, quod erat conditio concessionum in Bulla Urbani II.

Tancredo successit Henricus VI. ex domo Sveva vir Constantiae sororis Guillelmi I. Henricus VI. ob sua crimina excommunicatus est, sed poenitens mortuus est, et in suo Testamento disponit: " Si filius eius Fridericus II. absque liberis moriatur, " regnum habeat mater, et post ipsam redeat ad S. Sedem; " item si mater praemoriatur filio, et filius non habeat liberos ".

Constantia concessit Innocentio IV. tutelam filii, et administrationem Regni, petens pro se et filio eius investituram.

Innocentius IV. denegavit nisi renuntiaret quatuor Capitulis. Constantia renuntiavit.

Fridericus II. eius filius in Bulla aurea pariter renuntiat quibuslibet praetensionibus, et recipit Legatos Papae.

In suo Testamento rursus confirmat libertatem Ecclesiae Romanae.

Etiam sub pessimis eius filiis Conrado, et Manfredo Nuncii libere in Sicilia ministraverunt.

Sequuntur Reges e domo Francorum qui jurarunt contrarium ac fuerit in quatuor Capitulis.

Sequuntur Reges e domo Aragonia. Fridericus II. juravit sicut voluit Papa Bonifacius VIII.

Sequitur Regnum Petri V., et Friderici III. Sub utroque Ecclesia semper libera fuit.

Sequitur Martinus I. qui durante schismate adhaesit Benedicto XIII., et posuit Regium Exequatur.

Martino successit Ferdinandus, et paulo post eius filius Alphonsus qui investituram obtinuit a Benedicto XIII.

Durante schismate Summi Pontifices sive veri agnoscerentur sive falsi semper suos legatos libere miserunt in Siciliam.

Composito Schismate ob electionem Martini V. Alphonsus Magnificus ei sese subjecit anno 1427.

Alphonsus obtinuit investituram Regni ab Eugenio IV., et juravit contrarium ac fuerit in quatuor Capitulis, sed abutens occasione schismatis Concilii Basileensis, et Felicis V. constituit leges vexantes Ecclesiam. Ab ipso repetendum est systema ecclesiasticae politiae Ecclesiae hostilis, a quo exurrexit postea tribunal Monarchiae.

Sub Ferdinando Cathotico productum est praetensum Diploma Urbani II. Exemplaria authentica etsi quaesita non inventa sunt, hinc Regi visum fuit insufficiens ad legem condendam.

Tamen Nuntio Papae prohibitum est manus apponere Ecclesiae Catanensi vacanti. Hoc est primum factum huius generis post Guillelmum Malum qui ejecerat Legatum Pontificium, quoniam mortuo patre suo Rogerio II. titulum regium statim ab eo non habuerat.

Ferdinandus Rex cum de authenticitate Bullae non constaret, interrogavit Vice-regem Moncada de qua re ageretur. Hic reposuit: " judicari ab antiquis relatum hunc morem (excludendi Legatos Apostolicos) coepisse a tempore Comitis Rogerii ob privilegium antiquum quod invenitur concessum eidem Comiti, eiusque filio. Et quamvis verba privilegii non sint ita ampla ut hodierna consuetudo, tamen causa fuerunt quod Officiales Majestatis tuae in hoc Regno semper faverint et ampliaverint Momarchiam.... ".

Prosequitur exponens abusus obtinentes in materia ecclesiastica, et subdit :

« Majestati tuae non spectat ut Regi, et Principi, neque ut « Legato, potestas ferendi leges Ecclesiasticas, maxime derogan- " tes Auctoritati Apostolicae directe vel indirecte ».

Quamvis Ferdinandus jurasset Julio II. plenam libertatem Ecclesiae, non tamen servavit, sed usurpationes usque eo venerunt ut mitterentur visitatores Regii ad Ecclesias.

Sub Carolo V. compilatum est corpus legum Monarchiae Regiae (in materia Ecclesiastica), tamen et Carolus V. interrogavit suum advocatum generalem Regni Antonium Montalto circa privilegium Urbani II. Et hic reposuit :

" Conveniret pro exoneratione conscientiae majestatis tuae, " et omnium officialium tuorum, et ministrorum, obtinere con- " firmationem eiusdem Monarchiae, an intelligatur propagata " ad omnes Reges, vel an dicta Bulla Urbani II. fuerit privile- " gium personale. „

Interim Vice-rex De Vega saeviebat carcere, etiam contra non adhaerentes privilegiis regiis.

Sub Philippo II. idem De Vega iterum introduxit pragmaticam, Officiales Regni non posse ab Episcopis Censuris mulctari nisi de consensu Regis.

Quamvis idem Philippus II. jussisset observari Concilium Tridentinum, tamen Vice-rex Joannes De Cerda, ex consilio Ministrorum Siciliae, suspendit idem Concilium, ut continens tria Capitula injuriosa Monarchiae, et Rex consensum dedit. In eodem Concilio Tridentino Episcopi Siciliae questi erant de violentiis quibus subdebantur, et res omnino intolerabilis visa est Patribus, quamvis de ea tantum incidenter actum sit.

Anno 1570. statutus est primus judex ordinarius Monarchiae. Ab hoc tempore fuit continuus abusus usque ad nostra tempora nempe usque ad an. 1870.

Pontifices sese opposuerunt. S. Pius V. volebat Interdicto

subjcere integram Insulam Siciliae sed suasus fuit in contrarium a tractationibus habendis.

Aliorum Pontificum Bullae , et Breves contra hos abusus continui fuerunt usque ad Pium IX.

Tandem lex civilis die 13. Maj an. 1871. inscripta: " Delle prerogative del Sommo Pontefice e della S. Sede , e sulle relazioni della Chiesa collo Stato „ consensit abolitioni Legatiae Siciliae, quamvis postea multae praetensiones renovatae sint pro electionibus ecclesiasticis titulo Regii Jurispatronatus.

Art. XIII. — **Conclusio juridica**.

Ex his concludere licet:

I. Legatia Siciliae non subsistit historice.

II. Etiamsi subsisteret historice, fuisset privilegium personale concessum Rogerio I. et eius filiis, quod proinde cum Rogerio II. extinctum esset.

III. Vera origo fuit in Regalistis desiderium dandi titulum legittimum antiquis abusibus Guillelmi I., quos Saeculo XVI. renovare et ampliare cupiebant.

IV. Etsi historice Legatia subsisteret, tamen semper fuisset revocabilis a S. Sede id exigente salute animarum. Jamvero de facto nunquam a S. Sede agnita est.

Ergo juridice non subsistit.

Permanens autem abusus, fuit causa justissima retractandi concessiones factas sub Benedicto XIII.

DISSERTATIO V.

DE LIBERTATE CONSCIENTIAE SEU DE CATHOLICIS LIBERALIBUS

Liberalismus exprimitur in Formula Cavour: " Libera Chiesa in libero Stato, „ asserit nempe Ecclesiam habere quidem suam personalitatem et independentiam, sed Statum nullo modo habere dependentiam ab Ecclesia. Jamvero hoc 1°. est absurdum. 2°. recidit in oppressionem Ecclesiae.

Diximus 1°. esse absurdum quia duae auctoritates independentes in eadem materia seu populo repugnant, ambae enim eumdem populum legibus dirigentes sive quoad actus internos sive externos, debent aliquando in conflictum venire nisi concorditer agant, et tunc necessario debent conciliari. Ita in Statibus Unitis secretum Confessionis venit in conflictu cum Lege Civili, et P. Kohlman obtinuit exceptionem a lege pro Sacerdotibus Catholicis. Hinc mutua independentia est absurda.

2°. Recidit in oppressionem Ecclesiae, Status enim si non concilietur cum Ecclesia, cum in se habeat vim cogendi, utique libere aget et subditos ad observandas leges coget, tamen si id faciat sine ulla dependentia ab Ecclesia, leges Ecclesiae in conflictu cum legibus Status cedere debebunt, quia Status habet in se vim cogendi, quam vim non habet Ecclesia. Ergo independentia Status ab Ecclesia recidit in oppressionem Ecclesiae.

Formula " Libera Chiesa in libero Stato „ in sensu liberali, uti demonstrat factum, significat separationem Status ab Ecclesia, quod non est Ecclesiae libertatem tribuere sed Ecclesiam ancillam facere, Status enim si independenter ab Ecclesia ferat leges, jam incapax erit alterius legis nisi una alteri subordinetur in casu conflictus, quae subordinatio cum a Statu

Ecclesiae denegetur, patet Ecclesiam de facto debere se accomodari Statui, idest spirituale temporali, et saepe veritatem errori, justitiam turpitudini. Quid si Ecclesia habens praevalentem vim materialem invocaret Formulam " *Libero Stato in libera Chiesa*, " et omnia per se legislatione suà disponeret, directe spiritualia, indirecte temporalia? Hoc quidem Ecclesia posset facere si justitia Status deficeret, et ipsa haberet vim sufficientem, sed tunc omnia gubernando Ecclesia, possetne Statui libertatem offerre derisiva Formula " *Libero Stato in libera Chiesa* "? In hac ipothesi quid esset Status? quam potestatem haberet in Societate si omnia penderent a potestate Ecclesiae? Patet hoc fore destructionem Status. Pari modo dicimus notam Formulam " *Libera Chiesa in libero Stato*, " uti sumitur de facto, destruere potestatem Ecclesiae, cum jam omnes actus civium pendeant a legibus civilibus cum separatione ab .Ecclesia quae non habet vim coactivam.

Neque dicatur potestati Ecclesiae relinqui actus internos, quia actus interni dirigunt externos, et si cives coguntur aliter exterius agere quo sentiunt interius, gravantur maxima tyrannidum, cives enim jus habent imo tenentur ad sequendas veras normas moralitatis et justitiae, quae sunt normae Ecclesiae.

Separatio Status ab Ecclesia non solum non est necessaria, sed Status indiget unione cum Ecclesia, natura est insufficiens ad veritatem et sanam moralitatem sequendam sine auxilio Revelationis de qua Ecclesia est fidelis interpres, uti probant excessus Paganorum, et etiam naturaliter loquendo Civilis Socieas materialibus negotiis implicata indiget auxilio illorum qui se dedicant rebus spiritualibus, ut et alios in veritate et moralitate dirigant. Hinc non est verum quod Liberales dicunt, necessarium esse Statum ab Ecclesia separari, secus necessario vel Status opprimet Ecclesiam vel Ecclesia erit impedimentum Statui in suis negotiis. Ecclesia poterit esse impedimentum licentiae, nunquam vero ordinis in Statu, quemadmodum enim recta ratio et conscientia, lumine rationis gubernans actus humanos, non est

impedimentum sed ordinatrix actionum ad finem ultimum, ita Ecclesia rationis et Revelationis fida interpres et conscientiae directrix, non solum non est impedimentum progressus in Statu, sed validum auxilium, cum sit ordinis et justitiae fidissima custos, et recta moralitas et justitia sit verum fundamentum in Societate. Status ergo non debet se separare ab Ecclesia, sed ab Ecclesia tanquam lumine dirigi, et Ecclesiae lumini subordinari. Quod si Ministri Ecclesiae culpis sint obnoxii, non obstante professione rectitudinis et virtutis quibus alligantur, a Statu parum est timendum de oppressione Ecclesiae, cum Ecclesia sine armis uniatur Statui, et omnem vim habeat in libertate fidelium, et potestate veritatis, justitiae, et virtutis.

Quid intelligunt per " *Libero Stato* „? Ut Status sit revera liber requiritur sint liberi cives, jamvero si liberi sint cives, libera vera libertate erit Ecclesia, quia cives subordinantur Ecclesiae. Ita evenit in Statibus Unitis ubi Catholici ea qua pollent libertate subordinantur Ecclesiae, quod non possunt facere in Nationibus Protestantibus, in Anglia, in Hibernia, in Germania, quia hac libertate carent.

Multo magis subordinantur Ecclesiae novi populi qui ad Fidem convertuntur in India et aliis regionibus, quia sunt liberi. Si ergo Status esset liber, idest cives gauderent vera libertate, jam et vera libertate gauderet Ecclesia, non separationis a Statu, sed subordinationis civium et proinde Status erga Ecclesiam.

STATUS SEPARATUS AB ECCLESIA NON POTEST TENDERE AD SUUM FINEM NISI IMPERFECTE.

" Lucerna pedibus meis verbum tuum. „ Ecclesia est magistra moralitatis, et norma totius vitae, sive lumine naturali sive supernaturali. Ecclesia dirigit conscientiam, tutius judicando quod est honestum et inhonestum, et exemplo suo est regula et norma actionum. Nec tantum in actibus internis, conscientia enim dirigit actus externos, nec aliter potest homo judicare, et aliter agere. Status ergo separando se ab Ecclesia

amittit suum luminare et exemplum moralitatis, et actus Status separati ab Ecclesia non sunt perfecte humani, cum non respondeant fini spirituali ad quem homo non potest esse indifferens, hinc breviter Status separatus ab Ecclesia incidit in hebetudinem spiritualem, quae exsiccat cor hominis ita spe boni spiritualis destitutum, et tandem recidit in aegritudinem et infelicitatem. Ita accidit deplorando exemplo inter Protestantes, qui etsi omni temporali commoditate gaudeant, tamen spiritualiter egent, et proinde vitam vivunt sine vera felicitate.

OPPONUNT.

Nemo sese opponet Ecclesiae si Ecclesia manebit intra suos limites, si nempe non sit contraria legibus Status.

Resp. — Ecclesia habet jus sequendi veritatem et justitiam. Doctrina et directio Ecclesiae est doctrina et directio veritatis et justitiae, hinc in sequenda veritate et justitia Ecclesia habet jus et aliquando obligationem sese defendendi modo legitimo contra oppressionem Status vel iniquas leges, et fideles possunt legitimis modis se tueri contra oppressionem Status, sive directe per se, sive protegendo Ecclesiam, quae de sua natura et per antonomasiam est protectrix justitiae.

Formula " *Libera Chiesa in libero Stato* „ est vera in hoc sensu, quod nempe Ecclesia erit libera si Status erit liber, id est si Catholici gaudeant vera libertate civili, tunc enim vel obtinere possunt libertatem et protectionem cultus, si auctoritas sit Monarchica, vel si Polyarchica possunt ex seipsis condere leges subordinatas Ecclesiae. Unusquisque civis vult in Societate tutam suam conscientiam in sequendis legibus quibus Societate adstringitur, et ad hoc habet jus et etiam obligationem si est civis liber et non servus in Societate. Jamvero Ecclesia est fidelis interpres rationis et Revelationis, et lumen fidissimum ad conscientiam dirigendam et justitiam servandam.

Unusquique ergo civis, qui sit liber, vult in Societate leges

quae sint conformes legibus Ecclesiae, ut tuta sit conscientia et justitia.

Libertas civium, uti evenit in Statibus Unitis Americae Septentrionalis includit protectionem quamdam rei ecclesiasticae, quia libertas civium protecta a Statu dat protectionem actionibus civium, et proinde etiam circa ea quae cives ineunt in bonum Ecclesiae instructi et directi ab Ecclesia.

Ita incepit et crescit catholica Religio in Statibus Unitis, et quando aliquid spirituale venit in conflictum cum legibus Status, cives ex sua influentia in leges Status, obtinent quod necessarium est pro fine spirituali.

In Statibus Unitis verificatur aliquo modo formula in sensu superius admisso, quod nempe Ecclesia sit libera, cum libertatem habeant cives in Statu. Cives enim utentes civili libertate, procurant et obtinent protectionem Religionis a legibus Status, cum enim cives sint liberi, et ipsi per repraesentantes condant leges, sequitur leges condere posse in protectionem Religionis. Diximus tamen quod si leges civiles non componantur cum legibus Ecclesiae, hoc redundat in oppressionem Ecclesiae, quia leges civiles habent vim cogendi subditos. Jamvero in Statibus Unitis haec compositio verificatur, uti evenit in exemplo P. Kohlman ubi lex Status cessit Juri Canonico, et in alio exemplo Monsig. Hugues Archiepiscopi New York qui obtinuit a Senatu abolitionem legis in odium Ecclesiae promotae ab illis qui sese vocabant Know nothing (conosco nulla), seu ab indifferentistis. Pariter Polygamia fuit rejecta in rejectione Mormonismi. Explicatur autem quomodo in Statibus Unitis non habeatur adhuc perfecta compositio inter leges Status et leges Ecclesiae, ratio est quia cives in Statibus Unitis non sunt omnes catholici. Tamen cum cives sint liberi, libertas Status non recidit in oppressionem Ecclesiae, nec est separatio Status ab Ecclesia, sed est obsequium et protectio Ecclesiae juxta volitum civium qui ipsi leges condunt. Hoc obsequium et protectio tamen, remanet adhuc imperfecta erga Ecclesiam Catholicam, cum cives non sint

tantum Catholici sed etiam Protestantes. Quod si cives fiant omnes Catholici, Status non erit separatus ab Ecclesia, sed Religio Catholica erit Religio Status, quia leges pendent a civibus, et cives Catholici subordinantur Ecclesiae. Ft hoc accidit quia Catholici conversi sunt fervidi Catholici, et condunt leges catholicas, Religionem non adversantes sed protegentes. E contra in Nationibus Catholicis aliquando repraesentantes Gubernii Repraesentativi non sunt ferventes sed potius indifferentes, et ita ducuntur ab illis repraesentantibus qui sunt Religioni contrarii ad tuendam legum licentiam, quae licentia redundat in oppressionem populi, ubi enim deficit vis legis impediens abusus, ibi incipit oppressio illius qui est vi inferior, quod non est secundum justas exigentias populi, et accidit ex carentia libertatis, populi enim sunt Catholici, et invocant leges juxta spiritum Ecclesiae, quae sunt juxta spiritum justitiae. Statisti " viderunt festucam et non trabem », rejecerunt auctoritatem Ecclesiae, quia Ecclesiae Ministri ob humanam fragilitatem defectus habuerunt, tamen condunt leges jniustas, et vi eas defendunt, Ecclesiae autem leges, ne corrigant eorum excessus non admittunt.

DISSERTATIO VI.

DOMINIUM TEMPORALE S. SEDIS

Art. I. — **Origo Dominii temporalis S. Sedis — Probatur ex Historia fuisse legitimam.**

Notandum est Ecclesiam Romanam fuisse a primis Saeculis post pacem datam divitiis abundantem, adeo ut patrimonia plurima non modo circa Urbem, sed in tota Italia, imo et in aliis Imperii, provinciis possideret. Iamvero hoc plurimum potentiae conferebat Summo Pontifici, imo jure Romano conferebat plu-

rimum auctoritatis in colonos qui patrimonia haec excolebant.

Praeterea in dissolutione Romani Imperii cum innumeris malis premerentur populi, et quovis auxilio carerent, Episcopi erant qui populi curam suscipiebant, et suis divitiis atque auctoritate eidem succurrebant. Id praesertim praestabant Romani Pontifices. Populi autem sponte deferebant Pontifici, et cum in discrimine versarentur ad eum confugiebant.

Societas igitur indigebat regimine, etenim post dissolutionem Romani Imperii manebat sine civili organizatione. Pontifices autem erant idonei ad hoc regimen suscipiendum, quia plurimum poterant divitiis, et morali auctoritate, tum in barbaros compescendos, tum in fideles revocandos ad ordinem socialem. Hinc populi sponte deferebant Pontifici, et Pontifex exercebat potestatem suam in bonum populi etiam temporale, deficiente enim organizatione civili potestas ecclesiastica supplet in ipsa civili organizatione, cum jus habeat salvandi societatem christianam.

Graecorum autem dominium in Italia pessimum fuit, cum Romanis expoliandis plurimum valerent, nihil autem in eis defendendis a vicinis Longobardis, ita ut et aliquando de auxilio rogati responderent Imperatores populis Italiae, ut sibi quo meliori possent modo consulerent. Omnium igitur oculi in Pontificem convertebantur, ita ut S. Gregorius Magnus initio saeculi VII. jam quaereretur se non tam Pastoris quam Principis partes gerere. Ep. 25. lib. I. « ita ut saepe incertum sit utrum Pastoris officium, an terreni proceris agam ».

Orta autem est saeculo VIII. haeresis Iconoclastarum. Huic haeresi adhaesit Leo Isauricus Graecus Imperator, unde a Pontifice S. Gregorio II. excommunicatus est. Excommunicatus a Pontifice Imperator saeviit contra Catholicos, et misit exercitum contra S. Gregorium II. Populi Catholici defensionem propriam et Pontificis susceperunt contra exercitum Imperatoris, et S. Gregorius II. auxilio Venetorum, Neapolitanorum, Ravennatorum victor evasit, et rejecit copias Imperatoris. Hinc confirmatum fuit dominium temporale Summorum Pontificum. Actum est de re-

staurando occidentali Imperio. Verum prudenter restitit S. Gregorius II., ut Graecis ad fidei unitatem revocandis consulere posset, sive quia hoc Imperium non potuisset resistere Longobardis a Graecis separatum imo ab eis impetitum. Tantum proinde permisit negari Graecis tributa seu suspendi obedientiam donec Ecclesiae reconciliarentur. Hinc confirmatum fuit dominium temporale Pontificis, ita ut populi magistratibus inferioribus quos eligebant onus parendi Pontifici imponerent.

Graeci Imperatores habebant Italos ut barbaros, neque ullam curam habebant eos regendi et gubernandi; eos depraedabant, et ab hostibus non defendebant. Unde Itali intollerantes eorum jugo, volebant se subtrahere a jugo Imperatoris. Occasione autem belli quo Leo Isauricus Imperator propter haeresim excommunicatus irruebat contra Catholicos forti exercitu, Itali in unum collecti sese defenderunt, et ejectis copiis Imperatoris, Itali deliberaverunt de eligendo sibi novum Imperatorem. Verum S. Gregorius II. hoc non prudens aestimavit, cum aliunde gratia potuisset revocare Imperatorem ad fidem. Ita Italia non recognovit Imperatorem, et Pontifex remansit caput potentis foederationis Italorum, et populi Magistratibus inferioribus quos eligebant, onus parendi Pontifici imponebant. Ita constitutum fuit dominium temporale Pontificum in Urbe, in Romano Ducatu, et pluribus circum circa civitatibus.

Pipinus autem et Carolus Magnus invocati fuerunt a Pontifice contra Longobardos qui invaserant et occupaverant aliquas Ecclesiae terras, Exarcatum insuper et Pentapolim. Pipinus et Carolus Magnus Francorum Reges cum Longobardos debellassent, restituerunt Romanae Ecclesiae terras quas jam possiderat, et alias insuper addiderunt, Exarcatum scilicet, et Pentapolim, quas a jugo Longobardorum liberaverant, injuste Graecis reclamantibus et sibi restitui volentibus, hi enim jus in eas provincias amiserant.

Et ita constitutum est dominium temporale Summi Pontificis etiam in Pentapolim, et Exarcatum, non solum titulo dona-

tionis Regum Francorum, sed etiam aliis justissimis causis, Summus enim Pontifex S. Gregorius II. eos liberaverat a jugo Graecorum, pariter Summi Pontifices ope Pipini et Caroli Magni eos liberaverant a jugo Longobardorum.

Romani relicti erant a Graecis Imperatoribus interius absque regimine, et absque auxilio contra hostes. Saepe de hoc recursum habuerunt Graecis Imperatoribus, qui responderunt ut meliori quo possent modo sibi consulerent. Hinc Romani sese posuerunt sub regimine Summi Pontificis qui necessitatis causa curam eorum jam habebant etiam in temporalibus. Postea vero Romani legitima de causa negaverunt Graecis obedientiam, ac Magistratus inferiores elegerunt qui eos gubernarent dependentes et ipsi a Summo Pontifice. Ratio autem qua Romani cum caeteris Italis negaverunt obedientiam Graecis Imperatoribus fuit justissima. Saeculo VIII. Leo Isauricus Imperator adhaesit haeresi Iconoclastarum contra Sacras Imagines, unde S. Gregorius II. eum excommunicavit. Hinc Imperator irruit contra Catholicos, et misit exercitum contra Gregorium II. Itali vero Veneti, Neapolitani, et Ravennatae, jugo Graecorum jam intollerantes, se, et Pontificem defenderunt contra Imperatorem, unde S. Gregorius II. copias Imperatoris ejecit, ac victor evasit. Tunc populi qui jam antea erant intolerantes jugo Graecorum, et modum cogitabant sese subtrahendi ab eorum jugo, deliberaverunt constituere novum Imperium Occidentale. Verum prudenter restitit S. Gregorius II. cum novum Imperium Graecis infensum non potuisset se defendere a Longobardis, et cum gratia potuisset Imperatorem ad Fidem revocare; tantum permisit Imperatori obedientiam denegari, et tributum suspendi donec reconciliaretur cum Ecclesia. Ita Romani sibi constituerunt regimen independens a Graecis, elegerunt nempe sibi Magistratus infeioros qui eos gubernarent dependentes a Summo Pontifice cuir parere deberent. Ita confirmatum fuit Dominium Temporale Summorum Pontificum qui auxilio Pipini et Caroli Magni Regum Francorum obtinuerunt etiam alias terras jam pertinentes ad

Ecclesiam quas usurpaverant Longobardi, ab eisque Francorum Regibus dono receperunt Exarcatum, et Pentapolim quas, rogati Pontifice, a jugo Longobardorum liberaverant.

En quomodo originem historicam Dominii Temporalis S. Sedis exponit Moeller (St. Univers. T. I. Pag. 424.) auctor Protestans, et certe non suspectus partialitatis ergo Pontifices.

" Gl'Imperatori di Costantinopoli, volendo risolvere quistioni " Teologiche.... inacerbirono gli animi.... I Pontefici zelanti non " meno nel difendere la Fede che nel proteggere le prerogative " dei Romani se gli affezionarono. „ " Andato a Roma Costan- " te II., levatine i capilavoro dell'arte, e spogliato persino il Pan- " theon del prezioso suo tetto, accompagnato dalla esecrazione " dei sudditi, andò a depredare nella stessa maniera Italia, Sar- " degna, Sicilia; i Romani intolleranti del giogo dei Greci che " li guardavano come barbari,... sotto Bardane vennero in deli- " berazione di non più obbedire all'Imperatore, e a mal partito " si sarebbon trovati i partigiani dell'Imperatore, se a sedare il " tumulto, non si fossero frapposti i preti, portando in proces- " sione la Croce ecc... Tentarono i Romani una seconda volta " di farsi indipendenti allorchè Leone Isaurico publicó un De- " creto contro le Immagini... Lo scegliersi novello Imperatore " fu pure loro divisamento, (degli Italiani) ma Gregorio II. sic- " come uomo accorto insinuò loro non esserne maturo il tempo, " chè la grazia potea, toccato il cuore all'Imperatore, ricondurlo " alla Fede.... Così l'Italia non riconobbe Imperatori, e solo capo " di una possente lega rimase il Pontefice. „

" In ciò gran merito ebbero (di voler superiori i Capi) molti " sommi uomini che non interrottamente si succedettero nel " Pontificato. Fra questi furono il coraggioso e dotto Zaccaria, " ecc. ecc... Una raccolta di lettere che questi Pontifici indiriz- " zarono a lui, (Carlo Magno) e al padre di lui ben dimostrano " come la prevalenza che i Pontefici ebbero sopra i loro con- " temporanei, fosse un necessario effetto della politica, dell'ac- " corgimento, della eloquenza per cui i medesimi si segnalarono.„

Ipsi autem contra invasiones Longobardorum Carolum Martellum, et Pipinum invocaverunt, qui, " vinto Astolfo, lo costrinse " a cedergli una parte di sue conquiste, che come troppo lon- " tana dal novello padrone, fu poi affidata all'amministrazione " dello stesso Pontefice Stefano III. „.... Postea Carolus Ma- " gnus confirmavit " le donazioni che da Pipino avea avute la " Chiesa. „ Tantum cum " tant'oltre era giunto l'invilimento in " Italia della Imperial dignità, che un Duca di Benevento avea " osato tener prigioniero Luigi II., i Romani più non si cura- " rono che l'Imperatore confermasse le elezioni dei Papi le quali " per diritto dipendevano unicamente dal Clero... „

Art. II. — **De necessitate civilis principatus Summi Pontificis.**

Non loquimur de necessitate absoluta, ut nempe sit Ecclesia, Ecclesia enim potest existere etiam sine dominio temporali, sicut extitit primis tribus saeculis, dicimus tamen dominium temporale esse necessarium ut bene sit Ecclesia. Ecclesia enim indiget dominio temporali ut sit plene libera, scilicet pro suo statu normali, status enim quo Christus Dominus vult esse suam Ecclesiam, non est status servitutis sed plenae libertatis, ad quam libertatem habendam necessarium est dominium temporale, nempe ut omnes sine impedimento valeant ad eam accedere, cum eaque communicare, et ipsa Ecclesia valeat omnibus suam voluntatem manifestare absque ullo periculo pro se suisque officialibus, et quin teneatur respicere ad modum quo eius voluntas foret susceptura ab iis qui extranei sunt negotio, adeo ut non debeat tacere ad majora mala cavenda quae per accidens exinde sequerentur.

Ut Summus Pontifex plene sit liber necessarium est ut sit Princeps, et quidem Status alicuius momenti, habita ratione Principatuum circumstantium, si enim tantummodo concederetur ei immunitas personalis, et regius honor, semper esset in illius potestate qui in territorio dominaretur, hinc ad summum gau-

deret libertate precaria et momentanea, non stabili et tuta, ideoque non esset in statu seu conditione permanenter libera.

Hinc neque liber esset, neque de eius libertate constaret in rebus agendis, utrum nempe fuerit liber, vel sub influxu Principis territorialis, eiusque gratia egerit vel foederatorum suorum, qui status certe non esset naturalis et normalis pro Ecclesia et Summo Pontifice.

Dices. — Videtur magis conveniens Pontificem protegi lege internationali de omnimoda eius independentia, quae sub tutela juris gentium ponitur, adeo ut nationes omnes sint vindices libertatis eiusdem, si forsan Princeps territorialis eidem attentaverit.

Resp. — Hoc non esse sufficiens pro plena libertate Summi Pontificis, semper enim esset in potestate illius qui in territorio dominaretur, etsi haberet vindices alias nationes, insuper humana voluntas est mutabilis, hinc Summus Pontifix penderet a mutabili Principum voluntate ; homines sunt peccabiles, et ipse absque praesidio penderet ab ipsorum peccabili fidelitate.

Dominium temporale igitur est Ecclesiae necessarium, est autem necessarium quia sine dominio temporali non potest consistere Ecclesiae libertas. Libertas autem est Ecclesiae necessaria non ut sit, sed ut sit in suo statu normali, nempe ut bene sit, qui status non est status servitutis ut in primis saeculis, sed libertatis. Ut autem ecclesia sit libera, necessarium est dominium temporale, secus erit subdita.

Neque dicas Summum Pontificem posse esse liberum etiam sine dominio temporali, nempe etiam in territorio Civili Potestati subiecto, si Civilis Auctoritas omnem libertatem ei relinquat, etenim non est vera libertas quae dependent ex alterius voluntate, multo minus est vera et libera Auctoritas quae penderet ex subditorum voluntate. Ita non esset vera et libera Auctoritas Pontificis dependentis a Principe territoriali, quae Auctoritas non potest concipi libera et indipendens si eius libertas dependeat a Societate Civili quae et ipsa est Ecclesiae subor-

dinata. Idem esset ac ponere vim coactivam in subditis ad tuendam auctoritatem Imperantis, quod est contra ipsam naturam auctoritatis, vis enim coactiva pertinet ad auctoritatem non ad subditos, est enim costitutiva auctoritatis, elementa enim auctoritatis constitutiva sunt Potestas legislativa, judiciaria, et executiva.

Quid si feratur lex internationalis de omnimoda libertate Pontificis, adeo ut Nationes omnes essent vindices libertatis eiusdem, si forsan Princeps territorialis eidem attentaverit.

Resp. — Neque in hoc casu Summum Pontificem esse liberum, adhuc enim penderet a voluntate Principis territorialis qui adhuc posset laedere suam libertatem, imo adhuc esset dominus personae Pontificis et Officialium S. Sedis, ita ut posset sive Pontificem sive eius Officiales in carcerem detrudere, uti constat ex Historia evenisse qnando Pontifices exercuerunt suam potestatem contra Principes abutentes auctoritate vel contra Ecclesiam vel contra Societatem, etsi Pontifex haberet fideles, et proinde vindices alias Nationes. Etenim mutabilis est et peccaqilis voluntas Principis territorialis, imo mutabilis et peccabilis est supposita tutela internationalis, internationalia enim consilia et ipsa plurimum consistunt in vi et potentia singulorum Principum qui ea componunt, et ab eorum interesse dependunt. Uno verbo non intelligitur Auctoritas dependens a subditis, de natura enim Auctoritatis est ut sit a subditis independens, et subditi sint ab ipsa dependentes, ita ut subditos possit etiam poenis coercere, in quo consistit potestas executiva quae est elementum essentiale Auctoritatis.

Hinc ut Pontifex sit subjectum auctoritatis ecclesiasticae liberum in sua auctoritate exercenda erga subditos, sive cives, sive Principes, necesse est ut sit extra eorum dominium et dependentiam, seu ut sit in dominio proprio, quod est in dominio temporali constitutus. Constitutus autem in dominio temporali, eius auctoritas tuetur fidelitate Nationum, ne unus vel alter Princeps, a Summo Pontifice de sua nequitia vel tyrannide re-

prehensus, contra Pontificem arma vertat, bellum ei indicendo si sit in suo Statu temporali, vel eum in carcerem detrudendo si sit in eius dominio vel territorio, uti scimus ex Historia pluries evenisse.

Art. III. — Utrum Dominium Temporale sit necessarium ut Summus Pontifex sit liber.

Videtur non esse necessarium, — Potestas enim Pontificis est suprema natura sua, et natura sua omnes civiles potestates ei subordinantur, si ergo res ordinate procedant, si nempe Principes hanc subordinationem observent, Summus Pontifex etiam sine dominio temporali, non tantum non erit subjectus, sed de facto habebit auctoritatem supremam, directe circa spiritualia, indirecte circa temporalia, ita ut sine dominio temporali omnia temporalia ei subordinentur. Videtur igitur non esse necessarium dominium temporale ut Summus Pontifex sit liber. Etenim ut Summus Pontifex sit liber requiritur tantum ut Civiles Potestates non deficiant in subordinatione juxta naturam civilium potestatum, quae natura sua subordinantur potestati spirituali Pontificis ut supremae. Insuper notandum necessitatem Dominii Temporalis, probari praecipue ex necessitate libertatis Summi Pontificis ad suam auctoritatem in Ecclesia exercendam. Jamvero haec necessitas non dicitur absolute, nempe in quocumque casu, si enim juxta rerum naturam Civiles Potestates sint subordinatae potestati Pontificis ut supremae potestati, Pontifex sine Dominio Temporali habebit de facto potestatem quae ei competit ex natura, potestatem nempe supremam, directe in spiritualia, indirecte in temporalia.

Ergo Dominium Temporale Summi Pontificis est necessarium, sed non absolute, sed tantum relative ad deficientiam Civilium Potestatum circa jura Summi Pontificis, et consequenter circa eorum obligationes. Imo Dominium Temporale Summi Pontificis non apparet necessarium si, uti de natura est Civilium Potestatum et Potestatis Ecclesiae, Civiles Potestates subordi-

nentur Ecclesiae et Summo Pontifici ut Supremae Potestati, ita ut Pontifex habeat plenam potestatem directe in spiritualia, indirecte in temporalia, non deficientibus Potestatibus Civilibus in eorum obligationibus erga Ecclesiam. Ex hac subordinatione Civilium Potestatum pendet secura et plena libertas ipsius Summi Pontificis habentis Dominium Temporale, si enim Civiles Potestates non subordinentur, parum resistere poterit temporalis potestas Summi Pontificis.

Contra expositas in hoc Articulo Difficultates contra Dominium Temporale Summi Pontificis sit sequens Propositio:

PROPOSITIO: DOMINIUM TEMPORALE SUMMI PONTIFICIS EST NECESSARIUM UT SUMMUS PONTIFEX SIT LIBER.

Dominium Temporale Summi Pontificis est necessarium ut Summus Pontifex sit liber etiam in casu quo Civiles Potestates subordinentur Summo Pontifici, etenim subordinatis Principibus possunt succedere Principes insubordinati, insuper voluntas humana est mutabilis, et Principes sunt peccabiles.

Ergo quantum fieri poterit erit secura reddenda libertas Ecclesiae contra incertitudinem subordinationis civilis, quod aliquo modo fieri potest per Dominium Temporale Summi Pontificis. Verum est securam et plenam libertatem Pontificis semper pendere a subordinatione civilium potestatum, tamen haec libertas debet fieri secura in quantum fieri potest, quod obtinetur per Dominium Temporale Summi Pontificis.

DISSERTATIO VII.

DE CONCORDATIS

Art. I. — **Statuitur conceptum Concordati.**

Jura Ecclesiae alia sunt originaria ex facto suae divinae institutionis, et haec jura sunt fundamentalia, essentialia, et proinde immutabilia, alia sunt secundaria et acquisita ex factis humanis, et haec sunt mutabilia. Item Ecclesia servat leges divinas quae sunt immutabiles, et alias condit auctoritate sua a divino Auctore acceptas, quae leges sunt mutabiles. Hae sunt leges disciplinares quae sunt mutabiles juxta diversa tempora, et juxta diversas circumstantias.

Melius esset pro Ecclesia si Status, paratus esset servare omnes leges Ecclesiae, et eidem praestare adjutorium juxta suum debitum absque ulla concessione ex parte Ecclesiae, sed cum id non verificetur, Ecclesia concedit aliqua quae concedere potest ad id obtinendum, et hae concessiones vocantur Concordata. Sic ex.g. Ecclesia concessit aliquibus Principibus nominare Episcopos dummodo praesentent personas idoneas.

Hinc dicimus non bene definire Concordata qui dicunt esse pacta de limitibus auctoritatis inter Principem et Summum Pontificem, etenim Ecclesia est Superior ratione finis, uti constat ex catholica doctrina, hinc jus habet disponendi de eis quae sunt necessaria vel utilia pro fine suo, etiamsi aliquod detrimentum temporale inde sequatur, quod est patienter tolerandum, et legislatio civilis incipit ordinare negotia humana cum jam ab ecclesiastica lege sunt ordinata pro felicitate aeterna, ideoque ibi incipit legislatio civilis ubi desinit Ecclesiastica. Hinc Concordata non sunt pacta de limitibus potestatis inter Principes et Summum Pontificem, sed concessiones Pontificis, quae concessiones Pontifex facit sub conditione, quousque hae concessiones fieri possint sine jactura animarum, et obligant donec Ecclesia

authentice declaret easdem cessare, Ecclesia enim est judex supremus moralitatis, et judex competens sui juris pro regimine societatis ecclesiasticae, hinc est et judex competens dissolutionis Concordatorum, ideoque si ea invalidet certe amittunt suum valorem.

Hinc contra paucos rejcitur definitio data a De Camillis qui Concordata definit : " Solemnes pactiones de limitibus au-
" ctoritatis inter Summum Pontificem et Principes saeculares
" initae pro moderamine status disciplinaris peculiarium Ec-
" clesiarum alicuius Regni vel Nationis ad pacem reparandam
" vel servandam inter Sacerdotium et Imperium. „

Alia Definitio Concordati. — Alii definiunt Concordatum quod sit : " Lex particularis Ecclesiastica pro aliquo Regno, Summi
" Pontificis auctoritate edita ad istantiam Principis eius loci,
" speciali ejusdem Principis obbligatione confirmata se eam
" perpetuo servaturum „.

STATUITUR CONCEPTUM CONCORDATI.

Concordati objectum est semper Ecclesiasticae disciplinae, et consistit in aliquibus modificationibus circa disciplinam.

Summus Pontifex agit juxta jura Ecclesiae competentia si quae autem Natio vel Princeps inveniatur in talibus circumstantiis in quibus non possit sine detrimento civilis societatis obtemperare dispositionibus Pontificis, tunc certe potest id Pontifici notum facere petens particulares dispositiones pro particularibus circumstantiis, quod Pontifex certe concedit si bonum Ecclesiae id concedere permittat, secus si non, bonum enim temporale cedere debet bono spirituali in casu conflictus. Tamen cum hae particulares concessiones sint modificationes legum disciplinarium, sunt concessiones quae Pontifex potest facere tantum sub aliquibus conditionibus, scilicet tantum stantibus illis particularibus circumstantiis in quibus hic et nunc Natio vel Princeps invenitur, et tantum id permittente bono Ecclesiae, hinc sequitur non solum istas concessiones posse revocare, sed etiam ad

revocandas teneri si praefatae particulares circumstantiae cessent, vel si bonum Ecclesiae istas concessiones amplius non permittat.

Quoadusque tamen particulares circumstantiae exigant, et bonum Ecclesiae permittat, Summus Pontifex particulares concessiones facit et non retractat ex sapienti suo regimine, secus aliquando ex vera necessitate alicuius Nationis vel alicuius Principis, Ecclesiae dispositiones in illa Natione observantiam non reciperent ex impossibilitate.

Si autem agatur de concessione facta a Pontifice non ex necessitate particularium circumstantiarum alicuius Principis vel Nationis cum compossibilitate boni spiritualis, sed ex necessitate Summi Pontificis cum aliqua remissione suorum jurium ad removenda mala majora ex indispositione seu ex inobedientia Principis vel Nationis, tunc certe Summus Pontifex non teneretur conservare suam concessionem, et posset eam revocare vix posset Ecclesiae jura tueri contra invasionem jurium Ecclesiae illius Principis vel Nationis.

Art. II. — **Quaeritur an Concordata sint Pacta bilateralia.**

Praemitto definitionem contractus seu pacti. In sua generali notione pactum seu contractus est: " Duorum vel plurium " in idem placitum consensus ".

Contractus seu pactum bilaterale est: " Contractus quo duo " contrahentes se ad dandum quid vel faciendum obligant ".

Heineccius. Elementa Juris Civilis secundum ordinem institutionum : " vel utrique contrahentes se ad dandum quid vel " faciendum obligant, vel alteruter tantum obligatur; hinc con- " tractus in bilaterales et unilaterales recte dividuntur. "

Notamus essentiam pacti vel contractus inter duos vel plures esse mutuum consensum in idem placitum, quidquid sit objectum placitum.

Hisce positis veniamus ad questionem : Utrum Concordata sint Pacta bilateralia.

PROPOSITIO. — CONCORDATA SUNT CONTRACTUS BILATERALES.

Concordata sunt contractus bilaterales quia Concordatum est obligatio duorum in idem placitum, seu ad dandum quid vel faciendum, in Concordatis enim Summus Pontifex et Princeps facto Tractatu, qui in Concordatis est semper circa Ecclesiasticam disciplinam, consistit nempe in aliqua modificatione Ecclesiasticae disciplinae, facto inquam Tractatu ambo sese obligant ad istum observandum speciali vinculo per pactum solemne, unde ad istum Tractatum obligantur non tantum obligatione qua tenentur pro quacumque lege, Summus Pontifex ut legislator, et Princeps ut subditus, sed etiam speciali obligatione ex pacto, quae specialis obligatio quo ambo per pactum sese obligant ad Tractatum seu ad novam legem disciplinarem observandam constituit pactum bilaterale. Concordata ergo sunt Pacta bilateralia.

Haec doctrina patet in epistola Card. Antonelli ad Praesidem Consilj Ministrorum Sardiniae sub die 19. Julii 1890.

EPISTOLA CARD. ANTONELLI AD PRAESIDEM CONSILJ MINISTRORUM SARDINIAE SUB DIE 19. JULJ 1850.

« Nei predetti Trattati peraltro se non viene scambiata la « natura dell' oggetto che è sempre di Ecclesiastica disciplina, « soltanto si fanno delle modificazioni in alcuni punti della medesima, le disposizioni peraltro che vi si contengono, acqui- « stano mediante la solenne intervenuta stipulazione una forza « speciale di reciproca e più stretta osservanza per parte dei « contraenti ; cosichè per questo lato i Trattati stessi mentre « non lasciano di essere nel loro oggetto di disciplina Ecclesia- « stica, assumono però la caratteristica di quei che diconsi in- « ternazionali. »

Nota quod Tractatus Internationales sunt contractus bilaterales.

PROPONITUR DIFFICULTAS.

Videtur Concordata non esse contractus bilaterales strictiori sensu acceptos quia in iis partes non dant aliquid indebitum citra pactum, quia specialis et strictior obligatio quae contrahitur in Concordatis exurgit ex speciali et strictiori necessitate observandi modificationes disciplinares in quibus de communi et speciali intelligentia Princeps et Summus Pontifex convenerunt solemni modo, ex quibus modificationibus disciplinaribus exurgunt reciprocae obligationes, et quidem speciales et strictiores juxta specialem et strictiorem necessitatem circumstantiarum.

Hinc summus Pontifex et Princeps etiam in Concordatis sunt semper Superior et subditus de mutua intelligentia aliquam legem disciplinarem modificantes, ex qua nulla alia obligatio exurgit nisi illa qua mutuo obligantur Superior et subditus, specialis quidem et strictior obligatio exurgens ex speciali necessitate illius modificationis legis disciplinaris juxta speciales circumstantias.

Respondeo ad Difficultatem — Dicendo, Principem et Summum Pontificem addere posse novam obligationem obligationi quae exurgit ex relatione inter superiorem et subditum etiam speciali et strictiori juxta speciales circumstantias, sicut enim novo vinculo ligamur erga Deum quando nova promissione promittimus aliquid jam debitum, uti accidit in voto et jurejurando, ita evenire potest cum hominibus jurando de re debita. Ita Summus Pontifex et Principes possunt sese ligare nova obligatione, quasi jurejurando sese obligantes, obligandosi sulla loro parola, sul loro onore.

Art. III. — **Animadvertimus sequentia esse tenenda ab omnibus Catholicis.**

1.° Ecclesiam posse et debere revocare concessiones factas Principibus si ex mutatis circumstantiis vergant in perniciem animarum, etenim tunc fieret illicita ipsarum observatio, et res deveniret ad eum statum a quo incipere non poterat, et quam-

vis inito pacto sint saepe toleranda damna plysica, numquam sustinenda sunt damna ordinis moralis.

2.° Si autem Princeps ex sua parte non observet Concordatum, est in facultate Ecclesiae aut rescindere contractum, aut urgere observandiam eiusdem, ex regula generali de contractibus. Princeps autem rescindens Concordatum recidit sub Jure comuni Canonico. Imo cum Summo Pontifici sit et jus condendi leges particulares posset lege praecipere plura, saltem quae in Concordato continebantur, postquam Concordatum rescissum est, et sic Princeps amitteret utilitates ex Concordato, adhuc persentiendo plura saltem eiusdem onera.

3.° E contra Princeps nequit jure suo resolvere Concordatum si fiat noxium Reipublicae civili, sed tenetur gravamina sua exponere Ecclesiae, quae profecto et ex sua honestate et ex sua physica infirmitate, caret enim armis, modificabit Concordatum. Sicut enim Ecclesia non contrahit cum intentione servandi pactum cum aderit detrimentum animarum, neque Status cum detrimento suo nisi fuerit necessarium pro bono spirituali, tunc enim potest et debet ad hoc se obligare, et judicium huius necessitatis spectat ad Ecclesiam, hinc si Ecclesia adhuc judicaverit Concordatum esse servandum, tunc casus erit in quo ob bonum spirituale sustinendum erit detrimentum temporale, et proinde Princeps ob Status subordinationem bono spirituali adhuc teneretur observare Concordatum.

Tamen Ecclesia de facto observat Concordatum donec potest sine evidenti detrimento animarum, et multum cavet ne occasionem subministret calumniandi et contra se hostiliter agendi, hinc etsi verum esset Concordata de jure posse ab Ecclesia rerevocari ad libitum, tamen hactenus hoc jus non exercuit, et certum est quod ex arbitrio neque exercebit in futuro sed tantum ex necessitate, igitur remaneret jus theoricum sed non practicum. Et quando Principes ex sua parte non observant, Ecclesia non rescindit Concordatum sed urget eius observantiam, et quidem non tam ex Status subordinatione quam ex vi

pacti. Et ratio est evidens, si enim Status non observat, hoc est ex eius hostilitate, si igitur laedit Ecclesiam etiam cum Ecclesia sit ei favorabilis ob conservatas concessiones eidem factas, multo magis timendum esset de eius hostilitate retractando has concessiones. Item invocatur titulus conventionis potiusquam superioritatis Ecclesiae, quia ille est magis communis et naturalis, ideoque appellatur ad justitiam Principis si nihil sperari potest ex eius Religione.

Summus Pontifex tenetur ad Concordatum sed donec huius observatio possibilis est sine detrimento animarum, quod semper subintelligitur, nec enim salus animarum impediri potest quacumque auctoritate aut pactione, et Status tenetur stare judicio Ecclesiae. Ceterum hoc casu excepto Summus Pontifex tenetur observare Concordatum duplici obligatione, ex sapientia nempe legislatoris quia leges non sunt de facili mutandae , et ex fidelitate in pacto observando. Sane in omnibus Concordatis Summi Pontifices expressis verbis promittunt pro se et suis successoribus perpetuam et fidelem observantiam, et obligant se ad eandem. Imo quamvis Ecclesia possit sola judicare de Concordato usquedum compossibile sit cum salute animarum, et Status teneatur stare judicio Ecclesiae, tamen Ecclesia etiam expresse statuit, aliquando supervenientes difficultates amice se compositurам. Ita in Articulo 35. Concordati Austriaci: " Si « qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua, " et Majestas Caesarea invicem conferent ad rem amice compo- « nendam ».

Aliquando reprobant transgressionem Concordati ut contrariam pacto, imo eousque perveniunt ut declarent : " irritum et « inane quidquid super his, a quoque, quavis auctoritate, etiam « per nos (Leonem X.) et successores nostros, scienter aut " ignoranter contigerit attentari. „ (Concordatum Leonis X. cum Rege Galliae Francisco I. Anno 1516. Titulo XVII).

Idem delaratur a Benedicto XIV. in Concordato Tit. XXV. inito cum Ferdinando VI. Rege Hispaniae. (Vide textum apud De Angelis, Praelectiones Juris Canonici Vol. I. Pag. 100).

" Et Julius III. (1550-55: " Nos attendentes Concordata " praedicta (cum Germania) vim pacti inter partes habere, et " quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogari " non consuevisse nec debere..., statuimus juxta ipsorum Con-" cordatorum continentiam et tenorem...."

Objcitur epistola Pii IX. ad Vice-Comitem De-Bonald, die 19. Junii 1471. (De Angelis P. 103.), sed in hac gratulatur Pontifex de Opuscolo edito a De Bonald an. 1871. circa Concordata, non autem confirmat doctrinam, et habentur declarationes authenticae contra eos qui nimis innitebantur huic epistolae. Notamus insuper quod agendo de confirmatione doctrinae, epistolae Pontificis non sunt medium quo Summus Pontifex utitur ad doctrinam proponendam, sed utitur propria forma, uti Bullis, Encyclicis, vel Decretis Sacrarum Congregationum. Imo ex hac ipsa epistola Pii IX. confirmatur doctrina Concordatorum, esse nempe pacta bilateralia ambas partes obligantia, in eadem enim epistola scriptor officialis Papae declaravit quod Concordata " ri-" vestono la forma di convenzioni, le quali essendo patti bila-" terali, obbligano tutte e due le parti ». (De Angelis P. 109).

Mauritius De-Bonald in hoc suo Opuscolo agit de duabus quaestionibus circa Concordatum initum an. 1801, et duo quaerit: 1.° An Gubernium Gallicum successerit in juribus Consuli Napoleoni concessis. 2.° An ex violationibus Guberniorum Galliae posset Pontifex justam causam habere revocandi Concordatum, et huic quaestioni respondet affirmative, pugnando contra Regalistas qui has concessiones volunt irrevocabiles, seu alienationes, et ait revocari ad nutum Pontificis.

Respondemus igitur epistolam Pii IX. quoad hanc solutionem Vice-Comitis De-Bonald nullo modo posse objici contra mutuam obligationem Concordatorum, respondet enim ad suam quaestionem De-Bonald, Concordatum initum 1801. revocari posse ad nutum Pontificis ex violationibus Guberniorum Galliae, quod est juxta naturam omnium contractuum et pactorum, ut pactum solvatur recedente una parte a sua promissione. Ergo Concor-

datum 1801, quoad obligationem quem habet vi pacti, potest revocari ad nutum Pontificis. Si Pontifex non revocat, hoc non est quia tenetur ad Concordatum vi pacti, sed vel quia recedente una parte a pacto, altera libera est revocare vel non, vel quia soluta obligatione quae habetur vi pacti, manet obligatio quae habetur ex objecto Concordati, quod est semper lex disciplinaris quae stat donec sit in bonum animarum, et pontifex ex sapientia legislatoris potest legem mutare tantum cum, suo judicio, vergat in detrimentum animarum.

Summus Pontifex Pius IX. in Allocutione I. Novembris 1850. vocat Concordata « pacta inter Sanctam Sedem et civilem potestatem „. (De Angelis Pag. 103-104). Et Summus Pontifex Leo XIII. in Encyclica ad Gallos, « Nobilissima Gallorum „ 8. Febr. 1884. habet: " Cum igitur pactis conventis inter Sacram Civilemque " potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod " justitiae interest, interest idem reipublicae concordiam ma- " nere integram „.

Objiciunt — Citatas formulas adhiberi consuetas in Concordatis, sumi debere in sensu improprio, quia semper supponitur posse Ecclesiam retractare Concordata si vergant in perniciem animarum.

Respondemus I°. Indirecte — Verba legis non posse sumi in in sensu improrio quando sunt clara; in casu nostro sunt clarissima, et S. Sedes turpiter decepisset Imperantes si tot vicibus, solemnissimis verbis, promisisset se servaturam Concordata solemni pacto, reputans nullam novam vim, et firmitatem addi obligationi per solemne pactum. Quod esset injuriosum S. Sedi, et nocivum, quia jam nullus Princeps contraheret pactum cum S. Sede, ideoque permanens fieret conditio hostilitatis.

Respondemus directe. — Si Ecclesia non posset sese in aliquo obligare per pactum, quia semper supponitur debere pactum retractare si vergat in perniciem animarum, jam sequeretur neminem posse per pactum ad aliquid sese obligare, quia pro omnibus supponitur debere pactum rectractare si vergat in perniciem

animarum, imo pactum in hoc casu per se est nullum, uti semper nullum est quando ex quacumque causa fit iniustum.

Obijcit De-Bonald: — Superior quatenus talis nequit obligari erga inferiorem. Atqui Ecclesia est Superior, et contrahit ut talis. Ergo Ecclesia nequit obligari.

Respondemus. — Negamus Superiorem non posse obligari, quia etsi obligatus ad condendas et servandas leges ordinatas, potest tamen novo vinculo firmare suam obligationem mediante pacto, nempe vi pacti. Sic qui jurat servare aliquid ad quod jam tenetur, certe secunda etiam obligatione obligatur, et tenetur vi legis, et vi jurisjurandi. Hinc Summus Pontifex legem Concordatam firmat pacto, et ad eam se obligat nova obligatione pacti. Pariter Princeps qui jam ad legem Concordatam tenetur ut subditus, ad eam se obligat alia obligatione pacti.

Obijciunt. — Ex pacto imminuitur potestas paciscentis. Ergo Summus Pontifex non potest in Concordatis pacto obligare se nec suos successores.

Respondemus — Non minui potestatem Pontificis quia pacto subintelligitur semper conditio donec sit in bonum Ecclesiae, servare autem aliquid donec sit in bonum Ecclesiae, et ad id se obligere novo vinculo pacti, non est limitare auctoritatem Ecclesiae, sed est de perfectione auctoritatis Ecclesiae. Neque hoc destruitur pactum quod Pontifex ineat pactum cum conditione donec sit in bonum Ecclesiae, eo modo quo non destruitur pactum ex eo quod semper adsit subintellecta conditio in omnibus pactis, donec pactum sit justum.

Concordata autem cum infidelibus aut haereticis sunt servanda simpliciter ut pacta: " ita se gerere Ecclesiam oportebit, " ait Tarquinj, ut pacti speciem in iisdem retineat, eaque proinde " ac pacta servet ".

Quaedam autem clausolae vehementiores haberi possunt quando Concordata respiciunt jura Ecclesiae adventitia quae alienari valent. Ita in Concordato inter Urbanum VIII., et Ferdinandum II. Regem Romanorum anno 1630. legitur: " ad quam

“ (observationem) quaelibet pars contraveniens, sen contrafaciens, “ praecise cogi possit „. Sed in eo Concordato Ecclesia renuntiat tantummodo quibusdam bonis temporalibus in Regno Bohemiae jam distractis, habita pro compensatione Constitutione taxae super sal. Jamvero quod semel et absolute alienatum est non amplius ad Ecclesiam spectat, et injuste ac invalide repeteretur.

Art. IV. — **Statuitur conceptum Concordati eiusque definitio.**

Concordatum est lex concordata, nempe Concordatum consistit praecipue in eius objecto, scilicet in lege disciplinari modificata a Summo Pontifice juxta circumstantias ad instantiam Principis, quod tamen objectum, lex nempe ita modificata, adsumit in Concordato novam formam quin amittat primam, adsumit nempe formam pacti. Manet nempe objectum legis, et ut lex obligat Pontificem et Principem, primum ut legislatorem, alterum ut subditum, et fit eodem tempore objectum pacti quo Summus Pontifex et Princeps promittunt servare illam novam modificationem. Hinc est quod illa modificatio stat et firmatur duplici obligatione juxta duplicem naturam legis et pacti specialis, unde amissa vi pacti, ex. g. ex violatione conditionis, adhuc stat ut lex, et amissa vi legis ex aliqua causa eximente ab obligatione legis, stat ut obligatio pacti.

DEFINITIO DATA A DE CAMILLIS COMMUNITER NON ADMITTITUR.

De Camillis definit Concordata: “ Solemnes pactiones de “ limitibus auctoritatis inter Summum Pontificem et Principes “ saeculares initae pro moderamine status disciplinaris peculia- “ rum Ecclesiarum alicuius Regni vel Nationis, ad pacem re- “ parandam vel servandam inter Sacerdotium et Imperium. „

Haec definitio communiter non admittitur uti ait clarissimus Cavagnis in suo Opere: Institutiones Juris Publici Ecclesiastici. Pars Generalis. Pag. 388. , et videtur non posse admitti

hac ratione, quia Concordata non sunt pactiones de limitibus auctoritatis inter Summum Pontificem et Principem, Summus enim Pontifex pro legibus Ecclesiae condendis habet illimitatam auctoritatem, ordinatam quidem, debet nempe leges disciplinares condere et moderare juxta circumstantias, sed hoc non limitat auctoritatem, sed est de essentia auctoritatis.

DUAE SENTENTIAE IN QUIBUS DIVIDUNTUR AUCTORES CIRCA CONCORDATA.

Circa Concordata habentur duae sententiae, nempe illorum qui dicunt Concordata non obligare Summum Pontificem obligatione pacti, sed tantum ex fidelitate legislatoris, et illorum qui ex alia parte dicunt, Concordata in omnibus esse veros contractus bilaterales ut conventiones internationales. Auctores primae sententiae dicunt Concordata non obligare Summum Pontificem obligatione pacti, sed tantum ex fidelitate legislatoris, quia inter Summum Pontificem et Principem non potest pacisci et contrahi vera obligatio, quia Summus Pontifex est judex supremus, et Princeps debet eius judicio se submittere. Sed vidimus posse pacisci, et secunda obligatione obligari, scilicet secundo vinculo, etiam ad ea ad quae jam tenemur, ut si quis jurejurando se obligat ad aliquid ad quod jam tenetur.

Fautores primae sententiae ita definiunt Concordatum: " Lex " particularis ecclesiastica pro aliquo Regno, Summi Pontificis " auctoritate edita ad instantiam Principis eius loci, speciali " eiusdem Principis obligatione confirmata se eam perpetuo ser- " vaturam. „

Haec Definitio non exprimit pactum quo ambo Summus Pontifex et Princeps sese obligant ad novam legem disciplinarem observandam.

DEFINITIO CONCORDATI

Nos dicimus Concordata esse: *Tractatus inter Summum Pontificem et Principem, in quo Summus Pontifex, ad instantiam Principis, modificat aliqua puncta ecclesiasticae disciplinae, ambo illa firmantes bilaterali pacto mutuae specialis observantiae.*

DEFINITIO EXPLICATUR

Concordata possunt considerari quoad objectum quod est semper ecclesiasticae disciplinae, et consistit in aliquibus modificationibus factis in aliquibus punctis disciplinae, et tunc Concordata considerata tantum quoad objectum sunt leges particulares disciplinares quas Summus Pontifex condit ad instantiam Principis alicuius loci, inspectis particularibus circumstantiis alicuius Regni, et hoc sensu Concordata non sunt pacta, sed leges particulares, et ad eas Summus Pontifex tenetur ut legislator et Princeps ut subditus quemadmodum ceteris legibus. Nunc quaeritur: potestne Summus Pontifex et Princeps obligari novo vinculo obligationis, puta jurejurando vel solemni promissione, ad legem ad quam ambo jam tenentur Pontifex ut legislator et Princeps ut subditus? Certe possunt, et tunc ad legem tenentur duplici vinculo obligationis, vinculo legis, et vinculo solemnis promissionis. Et haec solemnis reciproca promissio est pactum, ambo enim promittunt aliquid ad quod non tenebantur, nempe specialem fidelitatem debitam ex speciali solemni promissione, quod est pactum bilaterale, utrique enim contrahentes ad aliquid se obligant ad quod antea non tenebantur, scilicet ad illam particularem legem servandam speciali fidelitate quae exurgit ex pacto speciali. Cur non est pactum? est reciprocae utilitatis ad quietem servandam, et ita, ut ait Card. Antonelli, Concordata sunt tractatus internationales, qui sunt sine quaestione contractus bilaterales.

Hinc Concordatum dici potest vel lex particularis, bilaterali

contractu specialis fidelitatis firmata, vel contractus bilateralis specialis fidelitatis, legem particularem firmans. Certe melius dicitur lex particularis, bilaterali contractu specialis fidelitatis firmata, quia voluntas sequitur legem, et non viceversa. In Concordato agitur de concordia legum, et de concordia cordium, voluntas autem sequitur legem, et non lex sequitur voluntatem, hinc Concordatum dicitur primo de concordia legum, et secundario de concordia cordium. Hinc Concordatum est lex particularis disciplinaris pacto bilaterali specialis fidelitatis firmata, et non pactum bilaterale specialis fidelitatis firmans legem particularem.

FINIS.

IMPRIMATUR·
Fr. Raphael Pierotti Ordinis Praedicatorum.
Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX

DISSERTATIO I.

De Origine Societatis.

DISSERTATIO II.

De Forma Auctoritatis.

QUAENAM FORMA AUCTORITATIS SIT PRAEFERENDA,
MONARCHICA VEL POLYARCHICA.

DISSERTATIO III.

De Potestate indirecta Ecclesiae in temporalia.

DISSERTATIO IV.

De Regio Placet seu Exequatur nec non de aliis abusibus Status contra Auctoritatem Ecclesiae.

DISSERTATIO V.

DISSERTATIO VI.

Dominium Temporale Sanctae Sedis.

DISSERTATIO VII.

De Concordatis.

FINIS.